


B P O



1604




Laudetur Jesus Christus
Ex Libris Petri Pensisky
Anno Domini 1640
Die 29 Septembris

SPECVLI AVLICARVM ATQVE POLITICARVM OBSERVATIONUM.

Libelli Sex: nimirum.

1 De educatione Principum IOANNIS STVRMII, &c.
2. De Conciliis & consiliariis Principum FRIDERICI FVRII, &c.
3. Consiliarius HYPPOLITI A COLLIBVS.
4. Palatinus siue Aulicus EIVSDEM AVCTORIS.
5. Aulicus Politicus. DVRI DE PASCOLO.
6. Hypomneses politicæ FRANCISCI GVICCIARDINI.

DENVO, OB PENVRIAM EXEMplarium omnes coniunctim, accuratiùs, in vsum Aulicorum atq; Politicorum omnium, concinnati atq; æditi.

Procurante.

LAZARO ZETZNERO BIBLIOpola Argentinense.

M. D. C.



TYPOGRAPHUS ÆQVO LECTO-ri S.



VM BENEVOLE Lector, vino vendibili, ſicut vulgò dici ſolet, ſuſpenſa hederâ non opus ſit: & proba merx, vt dicitur in veteri comœdia, facilè emptorem reperiat, ſuperuacaneus nobis labor viſus eſt, in horum librorum vtilitatibus percenſendis, multum ſtudij ac laboris ſumere. Res enim ipſa ſatis loquetur, vbi libri hi diligentius inſpecti, & accuratius legendo euoluti fuerint. Namque ſola exemplarium inopia nobis anſam & occaſionem præbuit ad hoſce libellos politicos coniungendos, coniunctos recudendos, recuſos ad poſteritatis, ſi qua eſt ſucceſſura, memoriam trāſ-

mittendos ac propagandos : ſperans, omnes & ſingulos, ad quorum manus hi ſunt peruenturi, hunc etiam noſtrum conatum minimè improbaturos, ſed potiùs ſua æquanimitate ſtimulum, & quaſi calcar addituros ad alios eiuſcemodi libros colligendos, inque afflictæ patriæ noſtræ vtilitatem euulgandos. Neque verò eſt, quod quiſquam repetitâ hac & denuò à me libellorum horum adornatâ editione offendatur. Quanquam enim à nobis primò non ſint excuſi inq; lucem producti, adeoque falcem in alienam meſſem mittere videri queamus: tamen, quoniam nullius priuati commodi aut lucri, ſed publicæ vtilitatis cauſâ ſuſcepta eſt: idcirco tàm Auctores, ſi qui adhuc ſuperſtites ſunt, quàm Typographi, è quorum officinis libri illi primùm prodierunt, æquiores eſſe debent. Tu Lector vale, & ſi vis, his fruere.

Ad



Principem, ac Dominum Dominum

AD ILLVSTRISSIMVM Principem, ac Dominum, Dominum Alexandrum, Ducem Slucensem & Copulensem, &c. Ioannis Sturmij Epistola.



Alutauit me verbis Celsitudinis vestræ, Ioannes Lobartus Iureconsultus: prædicans mihi humanitatem & virtutem quandam singularem: cuius præclara extarent in ore & vultu indicia. Addidit etiam C. V. statuisse, in prædiolum meum ad me, salutandi & appellandi, & colloquendi causa diuertere: si fatigatis equis vestris: idoneus potuisset auriga, cum cisio inueniri: & nisi subito & celeriter fuisset proficiscendum.

Fateor magnorum virorum me beneuolentia, & studio maximopere delectari. atque idcirco etiam fatendum mihi est, molestum mihi esse: tum me Argentinæ non fuisse: cum ea V. C transiret.

Sed quoniam coram præsens colloqui non

non potui: abſens abſentem appellabo: & literis atq; voce ſcripta perſequar.

At quoniam varii ſunt caſus itinerum: & ſæpe, aut literæ intercipiuntur: aut tabellarii fallunt: Librario commiſi epiſtolam hanc excudendam: vt in manus multorum exeat. & ſi fortè, vel ad aures, vel ad conſpectum C. V. perueniat: teſtis ſit mei ſtudii & obſeruantiæ erga gentem atq; familiam Principum Slucenſium.

Nobilitatis enim ſemper perſtudioſus, & percupidus fui: eorum præcipue, qui ex antiquiſsimis familiis orti: maiorum ſuorum virtute, aut militari, aut doctrinæ: aut vtraque laude: aut ſingulari aliqua in re magna, ſtudio atq; induſtria, excelluerunt. Hi enim & patriæ ſuæ, magna commoda: & Regibus vel Principibus ſuis, magna ornamenta apportare ſolent.

Sentio aliquam ſingularem virtutem in Sereniſsimo Poloniæ Rege, Stephano, I. Veteres Romani, priſci illius ſeculi: permittere nobilibus adoleſcentibus, qui ætate militari eſſent, nolebant, vt à militia & ab exercitu

abessent: si bellum cum vicinis hostibus gererent: aut belli aliqua esset expectatio.

Sed Rex vester permultis concedit, aut literarum gratia: aut visendarum exterarum gentium vel consuetudinum caussa, peregrè versari: quoad eos, quãtum proficiant, non pœnitet.

Sic Ostrororganus D. Ioannes, cum Nicolao fratre suo: & Norinbergæ in Academia Altdorphiana: & apud nos in nostra Academia versatus est: & nunc in Gallia est: magni ingenii & excellentis virtutis Comes. Sic multi alii ex Regno vestro: aut nobiscum adhuc viuunt: aut hisce proximis hebdomadibus, ingenii excolendi gratia, migrarunt aliò.

Et in hoc instituto, & studio, & humanitate Regis, V. C. magnum exemplum est: ad excitandum cæteros, vt cætera sequatur nobilitas. Si enim Duces, & Comites, & Barones: cur non inferiorum ordinum liberi. & mores hominum perspicere, & vrbes, instituant.

Quanti æstimasset, euocatus & postulatus è Lituania primus Iagello contra Ma-

riacos: scire se posse, qualis ex nepotibus, post annos ducentos, vnus futurus esset: ita virtute & studio honestatis excellens, vt Vestra est Celsitas? Quanti etiam Casimirus Rex, filius Iagellonis, si idem?

Hanc ego epistolā: quoniam Argentinæ nō collocuti sumus: pro voce & vultu meo mitto: vt hortatrix sit ad memoriam maiorum recolendam: vt ex illorum oßibus, etiam nostra ætate videatur Alexander Slucensium Dux extitisse: qui, vt Iagello & Casimirus, primi ductores Polonorum contra Marianos, populo Sarmatico placuerunt: Ita hic Alexander sese huic Regi, suamq; industriam & virtutem probaret. Et, vt illi duo primi, Populo: sic hic Alexander & populo, & Regi suo placeret: Qui profecto regium nomen tuetur: & ostendit, quantum vsus militaris: quantum scientia ciuilis: quantum literæ, quantum industria & ingenium, à natura & Deo imbuta, poßint in rebus mortalium.

Commodum accidit, cum ad me Lobartus venit, cogitans scriptum aliquod meum sub prælum librariorum reuocare: quod ad

Cliuensium & Iuliacensium Ducem anno quinquagesimo primo misi. ita nunc distractum, vt nullum amplius sit reliquum.

Constitui enim istud ad C.V. mittere, vt C.V. authoritate rursus vires & famam hominum recuperet: & si quid in ipso boni esset id in C.V. familia & liberis eluceret.

Primum enim Principum & Procerum officium est: placere & vtiles esse patriæ, & Regibus suis. Deinde post sese heredes relinquere, qui idem velint & possent: disciplina & vitæ institutione.

Itaq; ego, quasi C. V. cogitet aliquando etiam, post curam erga patriam & Regem suum: vxori & liberis operam dare: proposui istud mittere, quod præmoneret & præmonstraret, quid in disciplina liberorum, præsertim Principum virorum, præcipuè spectandum sit.

Atq; istud eo tempore maximè faciendum putaui: dum apud C. V. Præfectus morum est, Ioannes Dzierzek, Regni Secretarius: verè nobilis & bonus vir: qui commendator esse poterit: & meus, & scripti mei. Quod,

vtinam, quantum velim, tantum vtilitatis adferat: ad familiam constituendam: & ad liberos educandos C.V. quos precor à Deo satis multos, ad genus propagandum: & eosdem optimos, ad gloriam Dei, & hominum, Regniq; Poloniæ amplificandam dari.

Atque vtinam Ioannes Dzierzek tamdiu viuat, vt adiutor & Consiliarius esse possit, in familia instituenda: ego libenter, si viuerem, epithalamium mitterem. Northemii 27. Maii. An. 81.



AD ILLVSTRISSIMVM PRINcipem Gulielmum ducem Iuliacensium, Cliuensium, Montensium, Comitem Marchiæ, & Rauenspurgi: Domino in Rauenstein, Ioannis Sturmii de educatione Principis.



ST res Illustrissime Princeps omnino optabilis: vnà cum natura secũ adferre in hanc lucem, formam corporis, bonamque valetudinem: & prę clara res est: nobilissimum nasci: & inseri vetustissimis familiis, & hæc bona excellentiora fiunt: cum ingenii etiam acumen: & animi indoles à natura nascentibus adtribuitur.

Sed etiam institui & educari, atque erudiri bene, laudabile est: sine quo naturæ vis sæpenumero, aut consopiri solet, aut debilitari, aut impediri: vt nihil egregium lucubret.

Quamobrem corporis tui robur & forma vnà cum vita occidet: & generis laus non tanta post se futura esset: nisi morum esset illustrata probitate & mentis acie: quas res duas in te & amamus omnes & admiramur.

Sed hæc ipsa non tam latè vim suam explicassent absque domestica educatione &

disci-

diſciplina: in qua conſtituenda maximopere patris tui optimi Principis: & matris prudentiſſimæ fœminæ memorabilis extitit prouidentia: *qui id elaborarunt, vt nihil oculi tui viderent: nihil aures haurirent: nihil animus cognoſceret: quod & à virtute magnorum virorum: à religione Chriſtianorum: à doctrina eruditorum: ab omnium hominum honeſtate eſſet alienum.*

Itaque fœlicitatis tuæ pars eſſe non minima creditur ab eruditis hominibus: quód adoleſcentulus Conrado Heresbachio traditus in diſciplinam es: cui viro, & prudentiam tribuunt, & diligentiam, & fidem: & doctrinam: & religionem & moderationem: quæ ſex virtutes cum in magiſtro ac præceptore inſunt: vbi natura bona erudienda cõcredita eſt à parentibus: nihil poteſt non ex ſe præclarum atque excellens gignere.

Prudentiæ eſt: conſiderare quanta res ſit: habere in ſua diſciplina principis viri filiũ: quem parentes heredem ſuum velint: quem populus expetat vt optimè & ſalutariter, & moderatè, & ſcienter gubernet Rempub. cùm etiam ex priuatis familiis ſæpè oriantur, qui aut vtiles ſint, aut honorifici etiam ſalutares patriæ ciues: quanto magis hæc diſciplina principes familias decet: quibus

qui

qui præſunt : quo magis authoritate, æſtimatione, honoribus pollent: eo etiam doctrina magis & virtute, ac moribus, cæteris debent hominibus prælucere.

Ergo prudentis eſt magiſtri, morumquè præceptoris, inprimis conſiderare: quantum munus ſuſceperit: & qualis de ſe ſit parentum, patriæ, bonorumque omnium expectatio: qualis etiam eruditorum: pertinet enim ad omnia literatorum hominum collegia, Principes familias rectè benèq; inſtitui: vt àd Philoſophos Ariſtotelis educatio: qui ita Alexandrum enutriuit: vt comprobatum ſit, non ſolum Remp. curari à Philoſophis poſſe: ſed etiam magiſtratus, & Reip. principes, & reges inſtitui, & erudiri tales, moribus & ſapientia: quales vita mortalium, & hominum ingenia naturæq; deſiderant.

Itaque incertum eſt : vter ab altero plus ſit honoris per hominum vitas conſecutus: Ariſtoteles qui inſtituit & expoliuit, an Alexander qui Imperium à Philippo patre acceptum: ita geſſit ea, quam ab Ariſtot. accepit ſcientia : vt omnis inuidia patris deſierit in filio, & quem principio Græcia ferre non potuit: is abſq; inuidia : ita patris imperium amplificauit : vt omnium propè hominum

fieret

fieret dominus: & glorioſum cognomentum inuenerit, & Alexander Magnus ſit appellatus: non imperio ſolùm & fortuna, verùm etiam regnandi imperandiq́ue ſcientia.

Non tantos labores, talesq́ue ſuſcepiſſet curas Ariſtoteles aut ob pecuniam, aut propter famam quas quidam Philoſophi ſpernunt omninò: Ariſtot. nō ſummo loco collocat: ſed quod ad doctoris prudentiam atque officium arbitratus ſit pertinere, inprimis conſtituere quanta res ſit diſciplina domeſtica: præſertim regum: cum hi ad informandum & ad docendum non à parentibus modo: verum etiam à populo committuntur. cùm ipſe etiam Ariſtoteles, ſimilem curam in Platone expertus ſit: & de Socrate acceperit quos diſcipulos habuerit: qua prudentia inſtitutos: qui cum priuati eſſent: tamen & vtilitates, & laudem, & gloriam patriæ propter doctrinam ampliarunt.

Hæc igitur prima ſit, ſiue magiſtri, ſiue doctoris, ſiue pręceptoris virtus: animo complecti magnitudinem rei, vt officium ſuum laudabiliter faciat: quod vbi ſtatutum erit: non defutura eſt, quam ſecundariam requirimus, diligentia: ſine qua nihil vnquam magnum atq; præclarum effici potuit.

Hæc

Hæc Antonium, Craſſum, Ciceronem tales oratores dedit: quales fuiſſe eos, & legimus & cognoſcimus: hæc Vlyſſem Mineruæ admirabilem reddidit: vt eſt apud Sophoclem:

Ἀεὶ μὲν ὦ παῖ Λαερτίου δέδορκά σε
Πεῖραν τὶν ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.

Odoratur enim hæc quàm ſagaciſſimè: & ſcrutatur omnes latebras, & quaſi venando omniũ rerum inſequitur veſtigia, vt nihil reconditum à doctis, aut à natura abditum ſit, aut lateat alicubi temerè neglectũ: quod non inquirat.

Sed præceptoris diſtracta tres in partes eſt diligentia: quarum vna eſt ſita in recognitione earum rerum, quas vnquam didicit: altera in earum intelligentia, quas ignorat: tertia in Conſultatione, quomodo eas principi ſuo diſcipulo tradat: vt minimo cũ labore, nulla cum moleſtia conſequatur: quę ei ſint ad mores & prudentiam, & doctrinam vitamq; neceſſaria.

Nam quæ noſtrorum fuit temporum infœlicitas: vel potius miſeria: quã multa nobis propoſita pueris fuerunt, quæ non erant neceſſaria? quàm inutilia? quam mala? quam barbara? quam etiam nullo ordine? quam

nulla

nulla via & ratione? sed tamen quia bona etiam quædam atq; præclara: & ab aliis accepimus, & ipsi nobis comparauimus: diligentiæ est ea conquirere & distinguere inter se natura, ordine, necessitate, vtilitate, modo, facilitate: vt apparatus noster non solum copiosus sit, verùm etiam varius, digestus, explicatus.

Idem retinendum in iis est quæ deinceps discuntur: nam quia nobis non legimus, sed discipulis: gustāda sunt omnium scriptorum genera: vt quem cibum puerili stomacho salubrem sentiemus: eum recondamus, vt suo tempore conditum beneq; coctum porrigamus, quæ duo cum peracta erunt, Consultatio sequetur: quomodo porrigamus: & quænam & quo ordine: de quo præcipiendum pluribus.

Sed in diligentia fides inesse debet: quæ vtilitate & progressu discentis censenda est.

Sunt enim multi sibi non suis diligentes: quorundam etiam diligentia, ad ostentationem dirigitur: quæ fallax est: vtilem verò diligentiam requirimus.

Ergo qui alios docet: vt ipse discat: is suũ: non alterius quærit commodum: & qui laudem quærit ex memoria pueri, recitatione

Lati-

Latinorum & Græcorum verſuum: is paucarum horarum merces explicat: nullas facultates opeſq; reconditas voluit poſſideri.

Quartum locum doctrinæ dedimus: & quintum religioni: cum tamen religio primas teneat: & doctrina proximas partes: ſed fuit hoc ordine, mea mihi exponenda ſententia.

Ergo prudens iſte præceptor & diligens & fidus atq; fidelis, etiam inſtructus ſit ab artibus, & à multarum & variarum rerum doctrina quæ literarum prudentia eſt, atq; ſcientia: diuerſa multùm à prima, de qua primo loco dixi: quæ communis eſt: & artificibus in medio omnibus propoſita: hæc verò prudentia eruditorum eſt hominum: ſine qua primæ illæ tres virtutes in liberorum educatione, nihil præſtare poſſunt, niſi vulgare & plebeium: hæc verò ſingulare aliquid & politum atq; admirabile ſolet in hominum ingeniis gignere.

Sit ergo talis principis pueri magiſter, qualis Conradus Heresbachius fuit: vel potius qualis nunc eſt: perfecto literarum curſu: multarum rerum vſu: conſummato iudicio: amabili grauitate: graui lenitate: vt doctrina non perfectionem ſolum adepta eſſe videa-

videatur: ſed morum etiam decentem elegantiam.

Ridicula enim doctrina eſt in arrogantia, moroſitate, faſtidio, leuitate: ſi tamen docti haberi poſſunt: in quibus huiuſmodi ſunt animi motiones.

Quanquam ſunt in omni genere magnorum hominum aliqui inepti vt oratores Erucii, Curtii, Mamerci: poëtæ vt Marſi & Zoyli & Chærili: ſenatores vt Valgulæ, Aſelli, Mancii: Imperatores etiam & duces vt Therſitæ, Glauci: in quibus non ſcelera vituperãtur: ſed ridentur ineptiæ.

Fiunt tamen quædam amabiliter ineptè: vt de Scipione & Lælio legitur: animi eos relaxandi gratia conchas & vmbilicos ad Caietam & Laurentum legere ſolitos fuiſſe.

De Archimede ſcientiſſimo Mathematico traditum eſt: cum inueniſſet in balnei aquiminario, rationem quantum probi auri furax artifex de maſſa abſtuliſſet: nudum ex aqua domum cucurriſſe, & inclamitaſſe Græco mathematicorum verbo, ἕυρηκα. eiuſcemodi ineptias virorum ferre poſſumus: & habent aliquando vtilitates: vt mox oſtendemus: ſed faſtidioſos, opinatores, arrogantes, rixatores, moroſos, deniq; ineptos: nemo aſpi-

mo aſpicit : quin rideat propter ridiculum, aut doleat, cauſa literarum.

Quamobrem ſanam requirimus in magiſtro eruditionem: cum aliarum rerũ multarum atque magnarum tum inprimis antiquitatis & ciuilis ſcientiæ: ſine qua raró boni poſſunt gubernatores & viri rerumpub. principes exiſtere.

Doctrinæ & rerum ſcientiæ Plato ex Socratis ſententia tantam tribuit: vt Reſp. Philoſophis commiſerit : quod tamen minime velim: fuerunt enim poſt Socratẽ nimis multi inepti Philoſophi.

Ciuilem prudentiam antiquitas tanti fecit vt cùm veriſimile eſſet : non eam tenere omnem Numam Pompilium : ei Ægeriam adiunxerint, vt Vlyſſi Homerus Mineruam à qua quotidiè doceretur.

De antiquitate & hiſtoria nullum dubium eſt quin omnium rerumpub. ciuiliſq; doctrinæ & vitæ exempla contineat.

Vlyſſes pro hiſtoriis, quæ eo tempore non extabant: multarum gentium mores in ſuis cognouit erroribus : Qui mores hominum latè perſpexit & vrbes : vt eſt apud Horatium: eaque de cauſa , Homerus Neſtori tres ætates dedit: quæ multarũ atq; magna-

rum

rum rerum suppeditarent memoriam.

Et, vt fabulas relinquamus : nulla antiquior historia est, quam Moysis : nulla maiorem autoritatem habens: Patriarchas, vitæ longinquitas multa vtilia, necessaria præclara docuit: sed postquam Deus humanæ vitæ, propter scelera, Cursum decurtauit: eique breuem terminum constituit: pro longitudine vitæ & diuturna experientia : historiæ dono genus humanum viuit : & Moysen dedit atque Prophetas, à quibus multa simul mortales condiscerent.

Sed si est aliquod genus hominum, ad quod potissimũ antiquitatis memoria pertinet, est id magistratuum, & regum, & principum in imperiis : quos ad talem curationem non solum voluntatem & ingenium, sed etiam scientiam atq; memoriam exemplorum adferre decet : ad deliberandum, ad iudicandum, ad prouidendum, ad cauendũ: ad omnia imperii munia.

Historias igitur inprimis teneat omnium temporum, populorum, virorum, is doctor, qui principum erudiet liberos: & illorum hisce præcipuè mentes imbuat : vt vbi adoleuerint, & ad Remp. accesserint, in iuuenilibus eorum animis prudentia vsusq; inhabitare senilis videatur.

Sed

Sed in his, illud meminiſſe oportet, non eò à me hæc dici, quo ſolas hiſtorias commendem: ſunt enim alia etiam multa præclara cognoſcenda: veruntamen hiſtorias cum primis diſcat adoleſcentulus: magiſter ſi fieri poſſit omnia ſciat: & ex omnibus optima deligat: quæ conueniant ætati & viribus; id quod ad docendi rationem pertinet: de qua poſt cum de moderatione dicetur.

Nunc de quinto agendum: quod erat religionis: quæ virtus vna, cæteras complectitur omnes atq; vniuerſas, ſimul ac enim religio alicuius animum occupat: omnes ibi virtutes ſubitò vnà erumpere & effundi neceſſe eſt: adeo id clarum eſt: vt etiamſi Stoicorum dogma obſcurum eſſet, tamen in religione intelligeretur: qui dixerunt, qui vnam virtutem haberent: eos omnes, non conſequi, ſed habere.

Religionem hic ego cùm pietatem voco, tum etiam diuinitatis noticiam: quò fit vt hæc pars appendicula partim ſit doctrinæ: partim ſingularis quædam hominis virtus, ignem in homine inflammans diuini amoris: vt quale in oratore quidam requirunt, vt ſit vir bonus: tale ego in doctore flagitem, vt ſit religioſus: non ſingulari aliqua vitæ profeſſio-

fessione: sed communi omnium Christianorum officio: quod religionem in omnibus desiderat hominibus: vt Deum metuant, amēt, venerentur, implorent, orent, precentur: idque nulla falsa superstitione, sed scienter. In diuinitatis enim inscientia non potest vera esse religio: quæ causa est, quód talem præceptorem principi puero quæramus: ex cuius ore, tanquam ex fonte salubres atq; cœlestis vitæ aquas hauriat.

Non enim religio solùm sed etiam superstitio altissimis defigitur radicibus & minus superstitio se doceri quàm religio patitur: quæ postquam radices nacta est, euelli ex animis hominum non potest.

Vt enim id crederemus verum esse: monstrosis nos exemplis multarum ætatum serie prædoceri nos Deus voluit.

Itaq̄ue non solùm Solem & Lunam quædam nationes adorarunt: & homines benè aliqui de mortalibus meriti inter Deos repositi sunt: & Dii nominibus effecti, vt Flora, Robigus, Lympha, Bonus euentus: verum pro Diis etiam bestiæ habitæ sunt: idque ab Ægyptiis quibus tamen ingenii acumen est propter regionis contemperationem, & qui sibi literarum, & artium inuentionem arrogant

gant

ſibus omnibus diuinitus videntur eſſe priuati: cùm in tanta prædictione calamitatum, & profligationis populi vniuerſi fateantur diutiſſimè his ſe malis vexari: tamen aperire oculos non poſſunt: vt lucem intueantur: veluti qui ephialte grauantur: qui ſentiunt malum: vnde autem accidat non poſſunt per ſomnum intelligere.

Tantam Iudæi ſuę religioni fidem habẽt: vt ſi poſſent & ſi potens aliquis fictusq; & ſeditioſus Meſſias oriretur: nemini mortalium in omni religione parérent: & orbem terrarum ſibi creatum & conſtitutum putarent: cæteros mortales incendiis & cæde tollerẽt, vſque adeò non ſolùm vera religio, grauis & ſancta eſt ſed etiam falſa, dura eſt, & moroſa, & pertinax & crudelis.

Quid enim de Turca dicemus? cuius exemplum nos vnum docere poteſt, neque bono euentu veritatem religionis probari: neque diſciplinæ ſeueritate: neq; ætatum progreſſionibus.

Quot enim iam annis regnant? & religionem ſuam tuentur, & pro iure ſuo belligerant? quam conſtanti totius populi fide & obſeruatione erga Tyrannum? cum qua cerimoniarum & inſtitutorum, falſa quidem &

nugatoria, attamen dura & rigida disciplina? quanto etiam & quali successu?

In angulo orbis audacium hominum globus vnus coiit: qui iam in Africa regnat, qui Europæ partem maioré occupat, qui Asiam totam in sua habet & ditione & potestate, qui à nostris etiam Monarchis non Dominus, sed MAGNVS DOMINVS in legationibus appellatur, an mirum sit, hunc credere, diuinitus se in imperium maioribus suis successisse, & maioribus quasi in manus à Deo traditum esse omnium gentium imperium, ergo nulla mala conscientia, quot ille nunc milia hominum tot annis vicit, vexauit, trucidauit, sustulit.

Tanti refert principem bene institui, qui gladio, non doctrina religionem suam vindicat: qualiscunq; illa sit qua est enutritus, vsque adeo necessarium est, solicitè prouidere, ne quid falsi in religionem, vel ætatum vitio, vel hominum imperitia, vel fraude improborum irrepat, præsertim cum tot ætatum & populorum exemplis doceamur.

Quid enim Athenis fuit præclarius, tum, cum floruit omnium disciplinarum doctrina quid apud eos sanctius, quàm conditores eius ciuitatis Neptunus & Minerua? quid magis his

gis his perſuaſum quàm hos deos eſſe? cum ficta ſolùm ſint impiæ religionis, vanaq́; nomina. Tantam habuit de his iſtis, opinio auctoritatem, vt cum eorum ſapientes Mathematici atq; Philoſophi diligentiſſimè inquiſiuerint, quomodo circulus quadrari poſſit, non cogitarint quomodo verum eſſe poſſit hos Deos eſſe, cum pro his, vt pro patria pugnare deberent, circuli verò quadratio etiam inuenta: non tantum attuliſſet ad faſtigium philoſophiæ quàm Architecturæ ſecuris & dolabra, quibus rotundus & orbiculatus truncus facili labore quadratur.

In quibus Athenienſibus illud etiam maximopere mirandum eſt, quod magis ſtulti fuerint in iis, quæ ſe ſcire putabant, quàm in eo quod ſe ignorare fatebantur.

Delubrum colebant Agnoſti Dei, propterea quod notus non eſſet, idcirco eum hoc nominarunt nomine, ſi hunc etiam Philoſophi quæſiuiſſent, & inueniſſent illum Ieſum vocari, & cognominari Chriſtum, aut ſi Magiſtratus cogitaſſent, quidnam eſſet, quod maiores ſine vultu & figura & cognomento delubrum ſtatuiſſent, clementiores fortaſſe in Socratis iudicio fuiſſent, qui quoniam ſuũ Dæmonium ſequebatur, accuſatus fuit,

quod Deos nouos coleret: & de diis patriis ſentiret male.

Quo ego magis noſtrorum temporum & noſtræ religionis ignoſco Magiſtratibus, qui in religione ſua defendenda ſunt ſeueri. Nã ſi vi religionem retinere oportet: & ſi potuerunt id facere Romani in ſuo Ioue Capitolino & in Romulo indigite: ſi Athenæ in Minerua: ſi Ægyptii in fele & Crocodilo: cur non ſimilis ſeueritas ſit retinenda in Chriſtianorum religione: quam non ſolùm anni mille quingenti ſtabiliuerunt: argumenta & rationes confirmant: miracula demonſtrarunt: ſed quam antecedentia etiam patriarcharum, & prænunciationes Prophetarum tot anteactis ſeculis comprobarunt.

Ignoſco quidem iſtis Magiſtratibus: verum cum gemitu & lachrymis: & optatione mentis iudiciiq; melioris.

Si ſatis eſt ſeveram eſſe religionem: fuit ſeueriſſima Imperatorum Romanorum: numeroſam, fuit numeroſiſſima Ægyptiorum, honorificam quid honorificẽtius Romæ quã Deorum puluinaria, vrbanæq; cærimoniæ? cõnſtantiam quid conſtantius in ſua Religione Turca? Rege Tunetenſi? & hoc Numidarum Rege, qui cum Cæſare eſt? declarant copiæ

piæ cœlestium martyrum fuisse in falsis religionibus, reuerentiam, constantiam, seueritatem. à quibus animorum confirmationibus rapti martyres fuerunt ad supplicia: si eos qui hos sustulerunt, peccasse videmus: & tamen peccasse constanter, persuasos sua religione, cur nos non paululum respiramus, & cogitamus posse fieri: vt nostra sæuitia Deo displiciat: aut vt Iudices errent aut vt Theologi, aut vt consuetudo: aut vt beatiores sint, qui in suppliciis patiuntur; quam qui condemnant?

Illud etiam atque etiam cogitandũ Magistratibus atq; principibus est, quinam sint, qui reos ad flammas, & ad cruciatus ducant, non enim Carnificis gladius fulget qui ceruices ferit: sed principis: neq; carnificis manus est, quæ rogum incendit, & flammam excitat, sed principis dextra, quemadmodum nec iniquum iudicium ad lictores atq; carnifices pertinet: sed ad Magistratus, quibus si malè iudicent præstanda culpa est, in cœlesti iudicio.

Quamobrem discat princeps puer, ex hoc quem requirimus præceptore, veram religionem, quam suo tueatur gladio: vt non solum regere suos: sed etiam iuste, sancteq;

regere poſſit, non enim ignorantia excuſat Magiſtratus,eadem enim Regem Numidarum, Perſarum, Turcarum excuſaret non conſuetudo, quæ Iudæos etiam fefellit, non temporum longinquitas, fuit enim Græcorum vetuſtiſſima, & Romanorū perantiqua Religio,non equidem quod Chriſtiana religio non certiſſima ſit: ſed non ſolùm Chriſtianā poſtulamus religionem, ſed eam flagitamus etiam puram,incorruptam.

Vt enim religione nihil ſincerius eſſe debet, ita etiam nihil facilius corrumpitur acceſſione ſuperſtitionis.

Itaque bonorum & doctorum virorū eſt, contra impias cerimonias, & contra doctrinam falſam pugnare, & pro integra, pura, ſyncera,ſana mortem oppetere, & cruciatus contemnere Non enim,vt in Platonis & Ariſtotelis Repub. leges aliquæ malæ ferendæ &tollerandæ ſunt,vt ne qua periculoſa oriaturReipub.conuerſio,ita in populoChriſtiano:cærimoniam irreligioſam, & precationē impiam, & opinionem contra Chriſti & Dei præcepta diſſimulare oportet, in religione fidelem & iuſtum eſſe decet: etiamſi orbis collabatur.

Ergò beatæ illæ, vereq́; cœleſtes animæ: quæ

quæ nostra ætate sanguinem suum effundi passæ sunt pro religionis puritate, & haud scio an minus fortiter passæ sint, quàm primi Ecclesiæ martyres.

Nam hi ea formula iudicium hominum sustinuerunt, quoniam Christus filius Dei sit, & eiusdem cum patre diuinitatis sit particeps, hi vero quoniam corrupta sit doctrina, vitiatæ cerimoniæ, leges impiæ in Ecclesiam irrepserint: & hæc omnia censeant esse emendanda, vt his mentibus in hoc mortali corpore ne aliqua iniuria fiat, principis Christiani est prouidere, itaque bene instructum esse à puero oportet, præceptis doctrinæ Christianæ, vt iustitiam colat, religionem defendat: eam non patiatur maculari, quæ iam maculosissima est.

Sed plura quàm mihi constitutum fuit de religione, veniamus ad partem postremam quæ fuit commoderatio, propria magistri virtus, idq; eruditi, hæc efficit, vt quæ puer discet: ea discat cum voluptate, hæc difficilibus adfert facilitatem, hæc docet omnia, hæc tollit fastidium, hęc matrum solicitudines adimit, quæ in studiis liberorũ solẽt valetudinẽ aduersam metuere, aut ingenii grauationẽ extimescere, aut disciplinæ duritiẽ:

timere: aut magiſtri moroſitatem vereri: deniq; hæc emendat quicquid puerilis educatio in ſe habet moleſtiæ.

Maximopere enim tenenda eſt Socratis libro ſecundo de repub. ſententia: *ψυχῆ δὲ βίαιον οὐδὲν ἔμμονον μάθημα.*

Veriſſima hæc eſt: eaq́ue non interrogata eſt à Socrate: ſed affirmata, non enim decet liberum ingenium, ſeruili diſciplina illaqueari: corporis labores violenti aliquando eſſe poſſunt: animi exercitationes & liberæ eſſe volunt: & voluntariæ: quicquid enim inuitis & recuſantibus imponitur humanis mentibus: id leui momento data occaſione excutitur.

Itaq; Socratis in eodem Platonis loco vocem ſequi oportet *μὴ βίᾳ τοὺς παῖδας ἐν τοῖς μαθήμασιν, ἀλλὰ παίζοντας τρέφε*, quæ vox ſi vera eſt: oportet præceptoris moderationem in duas partiri partes, quarum vna corporis eſt: altera animi, hoc eſt vna ludi: altera doctrinę, vna iocoſæ, altera ſeriæ voluptatis: vtraq; tamen vtilis ſanè voluptas: quam à pueritiæ & adoleſcentiæ diſciplina nunquam abeſſe volumus. Neque enim ratione caret quod Græciæ nobiliſſimæ ciuitates huiuſmo-

iusmodi disciplinæ Musas atque Apollinem præsides esse voluerunt.

Ergo & canere suis horis, & in venationibus interesse, & natationibus, & decursionibus militaribus, & saltu se cursuq; exercitare non solum concessum, verumetiam necessarium iudico.

Quamobrem principis pueri Magister, in quo omnia ista sunt, de quibus dictum est, pro ætate, pro viribus, pro tempore, pro voluntate, pro instituto vitæ omnia debet moderari. In venationibus species quædam est militaris fortitudinis: natatio quoque vtilitates habet, vt de C. Iulio Cæsare literarum monumenta docent, equestres decursiones propriæ sunt aularum exercitationes, saltus etiam cursusq; adolescentiam inprimis decet, sed in his moderatus præceptor prouidere debet, ne sint immodicæ, ne intempestiuæ, ne periculosæ, ne cursum studiorum impediant, sed iuuent, vt puer credat omnia ista inseruire virtuti & doctrinæ: vt sciat in Imperatoribus & Ducibus semper eos gloria cæteris præstitisse, qui cum militari fortitudine, ciuilem prudentiam & doctrinam literarum coniunxissent, vt de Iulio Cæsare, & Alexandro Macedonico aliisq; multis legitur,

gitur:quæ exempla is pręceptor rectè applicare poterit quem hic delineamus.

Permagni verò refert quos habeat Princeps & in exercitationibus collusores, & in studiis condiscipulos, quos non ex ipsa solū nobilitate, sed ex toto etiam populo, & ab exteris gentibus oportet conquirere, imò maximopere cauendum est, ne in hanc disciplinam, & studia, & ad hos iuueniles ludos accedant, quibus virtus & honestas, & doctrina amabilis atque præclara nō videatur, hic campus non minus ab impudicis oculis amouendus est, & à contagionibus vitiosorum vindicandus, quàm apud Poetas Dianæ balneationes, vt hi ludi etiam ad virtutis cultum adiumenta adferant, atque etiam ad literarum elegantiam.

Habent enim omnia hæc, cantiones, cursus, saltationes, venationes, decursiones, gladiationes, sua vocabula, suas sermonis formulas, sua in historiis exempla, quæ ex literarum Schola in gymnasium corporis, & ex gymnasio inScholam deportabunt discipuli: si ea erit in magistro commoderatio, quam requirimus, oportet enim vt hæ exercitationes sibi mutuam opem suppeditent, & vtrinque accipiant alterna subsidia.

Sed

Sed mirum videbitur multis.quod his rebus ego præcepta dẽ, qui ne concedere quidem eas deberem, quibus mihi reddenda ratio in hoc tempore non est, satis mihi est quod intelligam &sciam hanc esse vetustam Persarum &Græcorum disciplinam, &quod etiam tempora nostra moresq; nostri doceant,quoniam hæc consuetudo vel potius ratio sublata est, idcirco tam paucos esse in principibus, qui ad imperiorum atq; regnorum amplitudinem, doctrinæ maiestatem adiunxerint.

Quæ enim alia est causa, quàm quod literarum cognitio difficilis &dura &insuauis, molestaq; videatur, & corporis exercitationes magis naturales, cum æque sint vtraque naturæ consentaneæ, si modus teneatur, & coniungantur à magistro tempestiue &conuenienter.

Sed quia nostris moribus puerorum ingenia, vt à nutricibus per infantiam in cunis: ita hac ętate libris alligantur,nullo ludorum atq; exercitationum quasi magisterio, fastidiunt quod coguntur facere, appetunt à quo prohibentur,quo fit,vt cũ à præceptoris subselliis, ad equitationes deducuntur : aspernentur literas:nouos magistros ament, & in

scho-

ſcholis tyrannidem, in ſtabulis libertatem eſſe exiſtiment, quantò ergo vtilius eſſet atque conducibile magis: hæc per ætatem puerilem diſcere, vt ante annũ decimum ſextum non ſolum ſcholæ, verùm etiam tyrocinii non ſit ignarus adoleſcens, & non minus & venari, & natare, & equitare benè & artificiosè poſſit, quam illi ipſi, qui his rebus ſunt præfecti aulici magiſtri.

Sed odioſa res eſt, & laborioſa, & ingrata literas diſcere. annos ego iam triginta ſex literas diſco, viginti tres eaſdem quas didici doceo, equidem videre non poſſum, quid habeant literæ moleſtiæ, moleſtię dico, quid nõ habeant, inquam, voluptatis, ſi à tali tradantur præceptore atque magiſtro qualem hic eum eſſe volo, & qualem ego Conradum Heresbachium eſſe hoc præſertim tempore puto.

Nam oratio, quam de Græcorum lingua & literis olim Friburgi adoleſcens habuit, quã ego deinceps latére in bibliothecis paucorum non ſum paſſus, quantum in ſe habet doctrinæ? qualem rerum, & quorum librorum cognitionem? quales ſignificationes vberrimi pictoris? quantã facũdæ vt hoc verbo, diſertæq; & eruditæ linguæ documentũ.

Hanc

Hanc adolescens habuit, quantum post, tot iam annis accessit doctrinæ & vsus? Ergo qui talis erit præceptor, qualis Doctor Heresbachius est, qui multa didicerit, legerit, viderit, vsu compererit, is quicquid difficultatis erit, facilè poterit non imminuere, sed tollere, quicquid molestum, id emollire, quicquid obscurum, id illustrare, distinguere etiam poterit, non solùm mala à bonis, verùm etiam vtilia à necessariis: postrema à primis, vt néue intelligentia pueri, néue memoria grauetur, idq; omnibus temporibus & legendi, & intelligendi, & scribendi, & commentandi.

Multa habent grammaticorum libri nimia, multa Dialecticæ magis & Philosophiæ quam suæ artis propria, & ipsæ dialecticarũ atque rhetoricarum præceptiones facilius doctoris voce atque iudicio tradi possunt quàm libris sint explicatæ, iam disciplina de moribus & ciuili scientia, & de legibus, & partes omnes philosophiæ naturalis, item antiquitatis memoria & historici commentarii, quam multa habent, in quibus non solùm ordo & rerum expositio illustrari à magistro poterit? sed etiam quam multa præteriri, adimi, contrahi, coaceruari, redigi in

locos

locos artificiosos, coarctari angustis commẽtariis, in tabulis artificiose oculis discipuli opponi: vt de verborum confusione taceam, quæ nullum adhuc coactorem & digestorem habuerunt, cùm tamen & lexica, & copiæ, & thesauri, & commentarii & annotationes omnis generis vtraque in lingua extent, quorum omnium cognitio infinita, & memoria negata naturæ humanæ est, vt nihil sit, neq; in susceptione, neque in elaboratione huius studii, aut facile, aut iucundum, absque magistri huius, quem propositum habemus ope & auxilio.

Quã fastidiosa res stylus est etiã eruditis rerũ cognitione, nisi eum exacuerũt? at certissima ratio est adiuuãdi adolescentis, vt & facile scribat & libenter & cum voluptate.

Commemorare verò in sermonibus & cõuiuiis, hominumq́; cõgressionibus, quę legeris, audiueris, scripseris, adeò magnum est, vt etiam eruditissimi facere id non queant absq; pudore & metu repræhensionis, sunt tamen rationes, quib. qui munitus est, nullũ neq; grammaticum, neq; poeticum, neque rhetoricum verebitur Aristarchum.

Deniq; quia Deus in natura rerũ nihil temere, & confuse, & perturbatè constituit, sed

omnia

omnia ſuas cauſas,&ordinem,&conuenien-
tiam ſortita naturaliter ſunt,nihil ita fortui-
tum,& numeroſum,& indigeſtum eſt, quod
ab ingenio bene literato non poſſit proprie-
tate diſtingui, ſpecie continuari: generibus
contrahi, quodcunque aut fieri poteſt, aut
exiſtere,ſimul ac ſenſu percipitur,intelligē-
tia poteſt comprehendi, & notione aliqua
notari,&quæcunque aut temporibus aut re-
rum ſerie,aut earum cognatione,aut ſimili-
tudine, aut conſecutione connexa ſunt, ta-
metſi reconditam atque confuſam molem
habeant, tamen iiſdem poſſunt & tempori-
bus,& propagationibus,&propinquitatibus,
& ſimilitudinibus atque conſecutionibus di-
ſpertiri,& doceri, idq; modico diſcetis labo-
re,minimo faſtidio, nulla moleſtia, ſi talem,
qualem volumus artificem nanciſcantur.

Is ſiue artifex,ſiue magiſter, ſiue Doctor,
ſiue præceptor, aut quocunque eum placeat
nomine appellari: inuenire poterit cathe-
nam illam Iouis,de qua eſt apud Homerum,
& intelligere quomodo illa compages co-
hæreat,ex qua cœlum,terra,omnia elemen-
ta,omnes Dii, omnes homines dependeant,
& Iouis dextra nutuq; moueantur.

Eſt enim omnium rerum inter ſe perpe-

tua

tua cognationis cohærentia, & quia res perpetua continuatione copulatæ ſunt, neceſſe eſt etiam verba, quæ rerum ſunt ſigna, omnesq́; ſermonis atque orationis partes continenti connexione coaleſcere, id quomodo fiat quod naturale eſt, & quomodo confici debeat quod eſt artificioſum, tenebit hic noſter principis doctor.

Quanquam non omnia in doctore poſita ſunt, ſunt etiam quæ ad magiſtrum adferre, eiq́ue adiungere oportet adiumenta, vt nec Galenus, nec Hippocrates facilè curare morbum poſſunt, niſi ægrotus etiam officiũ ſuum faciat, & cuſtodes, cæteræq́ue res adſint, quæ ſunt ad ſanandum neceſſariæ. Ita etiam puerum ad magiſtrum naturam atque ingeniũ & voluntatem adferre oportet.

Quis enim non facilius ingenioſum quã ſtupidum erudiat? aut quis doceat fatuum & ſtultum? Etiam parentum requiritur prudentia, vt condiſcipuli boni deligantur, vt aulicæ impeditiones & noxæ remoueantur, vt magiſtri conſtituatur & confirmetur autoritas, vt omnia adſint quæ ſunt conducibilia, vbi hæc congruunt, non mihi vllum eſt dubium, quin ibi populus, & optimum, & ſapientiſſimum minimo cum labore, nullo

cum

cum faſtidio, nulla moleſtia puerilis ingenij, aliquando ſit habiturus principem, qui patrem non ſolum viuum, ſed etiam morientem conſolabitur: vt libentius è vita migret ætate acta: cùm talem cogitabit ſe heredem ſuo populo tradere, qualis à felice populo princeps gubernator ſit exoptandus.

Hæc ad te Guilielme Dux, quaſi præfari libuit: cùm cogitarem Conradi Heresbachii orationem diuulgare: vt tibi memoriã præceptoris & iuuenilis diſciplinæ renouarem, vt quaſi teſtem certiſſimum haberem de diligentia & fide & prudentia & doctrina Heresbachii, vt etiam tu liberis tuis, quos Deus daturus eſt, ante tempus præceptorem inuenias: vt cùm tempus erit, in promptu ſit, cui imago matriſque & patris committi poſſit: qui eam ab omni macula cuſtodiat.

Prudentiſſimè loquitur apud Euripidem chorus Herculidarum.

οὐκ ἐστὶ τοῦδε παισὶ κάλλιον γέρας
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι.
γαμεῖν τ' ἀπ' ἐσθλῶν

Vtrunque tibi diuinitus datum eſt, vt & parentibus ſis procreatus illuſtriſſimæ antiquiſſimæque vtrinque familiæ, & talem in

matrimonio vxorem habeas, cuius parentes in hac nunc Chriſtianorum ætate nulli nec honoribus, nec fortuna, nec Imperii maieſtate ſunt ſecundi.

Filiolam Deus dedit, daturus etiam eſt filium, ſi is talem conſequetur pręceptorem, qualem hic indicauimus, ſiue id tua ſponte facias, ſiue exemplo Conradi Heresbachii, gratulabor vobis parentibus de fœlicitate, & gaudebo patriæ meæ de ſpe vicini principis, qui patri forma bonitateq; ſimilis, aliquando fœlicitatem populi, prudentia ſua ſapientiaque non patietur aut interturbari, aut minui.





AD PHILIPPVM HISPANIARVM REGEM. FRIDERICI FURIJ CERIOLANI PRÆFATIO.



Vilibet Princeps quasi duabus personis constat. Prior est effectio naturæ, qua ei essentia cum reliquis hominibus communis impertitur: altera verò à benignitate fortunæ, fauore cœli, Deique clementia procedens propter administrationem & defensionem boni publici, publicæ personæ nomen ei tribuit. Quò verò generale publicæ personæ nomen ad quoddam singularius reduceretur, aliis alia personam hanc, Italis quippe lingua sua populari, Regis: mihi verò toto hoc opere Principis appellatione eam designare placuit: ita vt prædictorum ratione, quilibet Princeps dupliciter considerari queat, nimirum vt homo, & vt Princeps. Quatenus homo, corpus & animam habet: atque illud non tantùm essentia, sed & ornamentis, quibus anima iuuari possit, æstimandum

est.

eſt. Hæc verò artium, quæ cum primis ad decus, officium atque honorem ſecundæ perſonæ pertinent, perceptione metienda erit. Nam corpus & anima, quorum appellatione homo intelligitur, quaſi inſtrumenta Principis eſſe cenſentur. Vt etenim vel pictor, vel aurifaber, apparatu neceſſariorum inſtrumentorum deficiente, ſui artificii laborem exercere, vel in ſuo munere rectè verſari nequit: ita Princeps conuenientibus inſtrumentis deſtitutus, nec gubernare, nec defendere, multò verò minus augere vel dilatare regni ſui fines poterit. Quæ cùm ita ſint, multos excellẽtes, qui omnem ingenij ſui induſtriam ad Principis inſtitutionem, vt à qua conſeruatio atque interitus humanæ ſocietatis pẽdet, in eo ad hunc vſq; diem erraſſe videmus, quòd, quamuis in Principe duas diuerſas atq; diſtinctas perſonas perſpicerent, nihilominus ipſas in inſtitutione eius confuderint: ignorantes, omnes artes eſſe inſtar circulorum catenæ, quorum quilibet, quamuis ſuos terminos ab alijs diſtinctos habet, tamen ex ijs coniunctis catena efficitur. Sic quoque artes

ſuis

suis limitibus concludendæ, nec inter sese cõmiscendæ sunt, sed in actionibus, cùm ad vsum conferendæ sunt, necesse est omnes simul concurrere: ea ratione, vt traditio ipsarum, præcepta habeat, distincta ab aliis, & commixtio ipsarum, contra ordinis rationem fiat. Quia verò hæc res à paucis est intellecta, à multò paucioribus autem ad vsum traducta, euenit, quòd in institutione Principis præcepta ex Theologia, Philosophia naturali & morali, Iurisprudentia, Medicina, & aliјs scientiјs depromta proponunt. In quo duplex error inest: alter quia de Principe quoad homo, & non quoad Princeps est, tractant: alter, quia artes confundunt: vt alia vitia prætereantur, quæ huic errori cõiuncta sunt. Principis institutio, ex ea parte, quatenus Principem spectat, consistit in hoc, vt regulæ, præceptiones, ac subiectiones tales ei præscribantur ex quibus bonus Princeps euadere queat. Bonum Principem nominans, vocabulum profero à paucissimis intellectum: etsi re diligentius considerata, multi specie quidem præclara, re verò ipsa inania de hoc dixerint:
exi-

existimantes , Bonum Principem eundem esse, qui vir bonus sit, & qui bonus vir sit, hūc ipsum bonum Principem esse. Non nego bonitatem Principis rem longè optimam ac præstantissimam esse, & in qua plurimum fiduciæ sit collocandū: sed cùm loquimur de Principibus, nō ea ratione bonitatis nomen accipitur, sed vt vel Medicus, vel Musicus, vel Pictor, artis suæ peritia excellens, quantumuis homo sit malitiosus, bonus nihilominus dicitur, sic & Principis boni nomen hîc intelligatur. Atq; hoc est, quod subtilissimus Sannazarus significare voluit, cùm de quodā suæ ætatis Pontificè scripsit, eum bonū Principē, sed hominē malū fuisse. Ex quo bonū Principem dici apparet eū, qui benè atq; perfectè regendi scientiā intelligat, & eā prudenter ad vsum conferat: hoc est, qui nôrit & possit solerter suos subditos ita regere, vt non solū cum honore principatum conseruet atq; stabiliat, sed id quod maximè necessariū est, re ac necessitate exigēte, eū amplificet, atq; victorias de hostibus referat. Et ne longiùs hæc persequar, breuiter dico, bonū Principē esse, qui &

sibi

ſibi ipſemet conſulere, & aliorũ conſiliis vti, & tã alterius, quã ſua, pro ratione negotiorum, perſonarũ, locorũ & temporũ, ad finem glorioſum atque laudabilẽ perducere poteſt. Namq́; tria in ciuili ſocietate hominum genera videmus. Vnum, quod ſua ſponte, ſuoq́; Marte, intelligit ac perſpicit, quæ in rẽ ſint: Alterũ, quod commonefactione & ſubiectione aliorũ opus habet. Tertiũ, quod nulla iſtarum ratione animaduertit. Idq́; & ordine & rè extremum, verè ſeruile, atq́; Bœoticũ eſt. Alterum bonũ, ac prædicandum. Primũ verò longè optimum, atq́; penitus diuinũ, & quaſi natura ad gubernationẽ Reip. factum: alterius perfectio, ex diſcretione bonorũ atq́; malorũ animaduertitur. Nã quantũuis ingenio parùm valeat, nihilominus tamen malè dicta intelligit, facta ſui aduerſarii cognoſcit, volantatem ſuorũ Conſiliariorum perſpicit, bonas ipſorũ actiones cũ remuneratione collaudat, malas reprehẽdit atq́; caſtigat. Quare Cõſiliarij decipiendi Principis viã ſibi præcluſam videntes, rectè atq́; fideliter ipſi ſeruiunt. Sed miſerũ, imò miſerrimũ eſt regnũ,

vbi

vbi hæ Principis voces exaudiuntur: Videte, vt rectè omnia curentur, facite prout vobis melius videbitur: hæc vestræ curæ commissa sint. Namq; tale regnum nunquam feliciter gubernari vel administrari poterit: quòd, quæ oculis aguntur alienis, rarißimè benè procedant. & nulla conuenientia consiliorum existente cuilibet Consiliariorum sibi collibitum sequetur, atq; res suas curabit, omnes mali euadent: & fieri nequit, vt in tanta malitiæ occasione non seducantur: & qui aliud sibi persuadet, maximè fallitur. Eius verò calamitatis caussa ab imperitia Principis proficiscitur.

Cùm etenim homines natura ad ambitionem & auaritiam procliues sint, Consiliarij, occasione sui amplificandi sese ostendente, eam minimè negligunt. Nascitur verò ea nõ aliunde, quàm ex varijs rationibus quibus inscio, vel minimè occurrente Principe, ad exoptatum finem instituti sui peruenire possunt. Cæterùm ex ea re initio licentia, ex licentia confusio, ex hac regni destructio deniq; sequi consueuit. Patet itaq; Principis peri-

peritiæ, prudentiam ac integritatem Conſiliariorũ ſuſtentari: nec econuerſo Principis felicitatem Conſiliariorum peritiæ incumbere. Quamobrem repeto id, quòd antè dixi, Bonum Principem eſſe, qui ſibi ipſe conſulere, & alterius conſilia ad ſuum commodum conuertére, & vtraq; pro ratione negotiorũ, perſonarum, locorum & temporum rectè, laudateq; dirigere poſſit.

Porrò inſtitutio Principis nihil aliud eſt, quàm diſciplina bonarum atque certarum præceptionũ, quæ longa temporis experientia collectæ, in animo clariſsimorum virorum comprehenſæ, ore & factis eorum comprobatæ ſunt, qui regia ſua adminiſtratione & actionibus memorabilibus, titulum & cognomen bonorum principum commeruêre. Qui tales præceptiones collectas in opus redegerit, principi methodum ac viam certiſsimam oſtendet, ſine periculo ad ſummum gloriæ ac dignitatis faſtigium perueniendi.

Verum enimuerò, hæc ars vel inſtitutio, mea ſententia, in quinq; partes ſiue tractatus diſtribuetur, quò rectè ſolidéq; exponatur.

Prima pars tribus libris constabit: quorum priore declarabitur quid Princeps, quomodo, & qua de caussa constitutus sit, quæ ei, & à quo, potestas tributa sit, & quis illam ipsi auferre poßit Altero, quæ artes Principi maximè addiscendæ, & ad gubernationem cum primis sint necessariæ: Tertio tractabitur, quæ virtutes morales in Principe requirantur, quis & qualis ipsarum vsus sit: quam partem, licet ea fundamentum ac basis sit, cui omnis recta gubernãdi ratio insistit, paucißimi rectè intelligunt.

Secũdus tractatus erit de creatione Principis de ipsius Magistris, Doctoribus, Gubernatoribus, amicis, socijs, clientulis, deniq; familiaribus. Quæ quidem pars sex ætatibus, quas Philosophi & Medici in homine considerant, respondens, in sex libros diuidetur: eorumq; primus infantiæ, secundus pueritiæ, tertius & alij subsequentes reliquis ætatibus attribuentur.

Tertia pars duos libros complectetur: vnum, qui peculiariter explicet, ad quid subditi suo principi obligentur: alterum, ad quæ

Prin-

Princeps vicißim ſuis ſubditis teneatur. Vnde certißima regula colligetur, qua ſubditus fidelis à proditore, & bonus Princeps à tyranno ſecernatur.

In quarta parte Principi commonſtrabitur ratio regendi talis, vt omnes fortunæ difficultates ſibi obiectas ſuperet. Quia verò id nec comprehendi, nec doceri poteſt, niſi varietate poſſeßionis regnorum cognita, quæ quadruplex eſt: nimirum aut hæreditate, aut electione, aut violentia, aut induſtria acquiſita: ideo hic tractatus in quatuor libros diſpertiendus eſt, vt cuilibet acquiſitionis modo liber peculiaris deſtinetur.

Sed conſiderato, quòd Princeps ſingulis audiendis vel animaduertendis adeſſe atque intendere nequeat: ideo quintus tractatus eſt de Concilio & Conſiliarijs Principis, in quo ipſi ratio conſtituendi concilij & idoneos Conſiliarios eligendi oſtenditur.

Hæc de Principis inſtitutione materia talis eſt, vt hominem maximis naturæ dotibus, ſingulari prudentia, multarum literarum cognitione, ac varia experiẽtia præditum re-

quirat, qui tàm multiplices, tantiq́; momenti res benè ac pro dignitate tractet. Ac difficultatem huius rei abundè commonstrat id, quod Græci, Latini, Itali, Germani, Galli & Hispani, vtut in ea ad defatigationem vsq́; desudârint: tamen eius tractandæ initium minimè inuenerint, ne dum eam in lucem produxerint. Omnes eam à posteriore exordiuntur, eamque miserrimè discerpunt atq; dilacerant: & quod omnium vitiosissimum est, cùm Principis institutionem polliceantur, quæ, vt dictum est, partes multiplices complectitur, ipsi ne minimam quidem eius partem attingunt. Quo & ignorantiæ & imprudentiæ reprehensionem incurrunt. Nam qui titulum libro indit, quicunq́; is sit, is ad eius materiæ tractationem astringitur, quæ sub titulo continetur. Ego itaq́;, qui semper existimaui magni ingenij esse, vacare rebus, quarum tractatio grauis & ardua, absolutio clarissimorum viribus superior est, inter alias meas variarum disciplinarum, ac maximè studii legalis, occupationes, in describenda institutione Principis, ingenij mei vires periclitari

clitari volui: Octo librorum, in quos tractatus de concilio Principis diuisus est, primum tuæ Maiestati transmittens: in quo tanquam aduersarijs quibusdam sententiam meam, omni verborum ac sententiarum ornatu omisso, vtcunq; noto, ne Maiestatis tuæ teretes aures multitudine verborum superuacua onerentur. Nec vereor vel extimesco eorum voces, qui me vel superbiæ, vel audaciæ, vel temeritatis sunt insimulaturi, quòd tàm arduam atq; difficilem materiam tractandam susceperim, quod & natura ad eam ducat, quasiq; rapiat, & ipsam vt ducem optimum secutus, à teneris annis cùm alijs rebus, tùm formis Reipub. cognoscendis studuerim. Hinc infinitos autores peruolui, quò formam antiquarum Rerumpub. vt Assyriæ, Thebanæ, Atheniensis, Carthaginensis, Romanæ: deniq; nostræ ætatis, putà Turcicæ, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, & aliarum gentium cognoscerem: & experientiæ loco studium in indagandis ijs, quæ nostra ætate in bellis Monarcharum Europæ acciderunt, posui, eaq; cum veteribus historijs con-

tuli. Adhæc non parum momenti rebus meis attulit, amicitia & consuetudo hominum, quorũ opera vel Principes vel Respub. in maximis ac difficilimis negotijs regnorũ & terrarum vsi, de rebus præteritis quã plurima me edocere potuerũt. Cùm ergo eo modo natus, nutritus & exercitatus sim, non cõmoueor vocibus æmulorum, quæcunq; contrà me vsurpari poßint.

Multi quidẽ hæc reijcient, & temerè ac inconsultè Hannibalis dicto prorumpẽt, Maximũ Philosophũ Phormionẽ stultitiæ redarguentis, cùm ei modũ ac formam instruendæ aciei traditurus esset. Hisce, atq; exemplo ab ipsis allegato, si ex opinione multorũ, doctrina, prudentia & sanctitate illustrium virorum, quorum aliqui verbis, aliqui scriptis barbariẽ & immanitatem Hannibalis damnant, respondere, eorumq; authoritate tueri me velim: dicere possem, æmulos ac obtrectatores meos Hannibale barbariores esse, quòd ille ex mera superbia peccârit, nolens cuiquã, in vmbra versanti, tantam belli peritiã cõcedere, quantã ipse in sole & puluere cõparasset:

set:

ſet: illi autem, præterquã quòd Praxille Adonide ſtupidiores, eos reprehendũt, qui aliqua rerum ſcientia valent, & in temeritatis vitiũ incurrunt, alterius militiæ applaudentes. Grauius vero eſt ſtolidis, alterius dictis ſubſcribere, quam ea proferre

Deinde re benè perpenſa Hannibal excuſationem meretur: noſtri autem obtrectatores reprehẽſione digniſſimi ſunt. Veriſimile namq; eſt nobiliſſimũ virum, mille trophæis atq; victorijs illuſtrẽ, diſſertatione Phormionis de acie inſtruenda audita, ex quadã excandeſcentia in hæc verba prorupiſſe: ſed hi malitia ac improbitate incitati, aliorũ labores obruere, & deteſtandam ignorantiã, coniunctam cum affectione otij & gloriæ defendere conãtur. Sed do, ab Hannibale Phormionẽ iuſtè reprehenſum: quid verò inde ſequitur? Id ſolummodò, imprudenter facere eum, qui ſe doctiorem, vt ſus Mineruam, docere velit. Denique, vt quid meis æmulis largiar vlterius, malè facere eum, qui parem ſibi doceat: peius verò illum, qui docet, quod non

intelligat. Nihilominus tamen, niſi me mea opinio fallit, vtriuſq; partis reprehenſionem euado. Primò namque, ne quid de inſita atq; innata propenſione dicam, ſummam diligẽtiam adhibui, vt ſolidam perfectamque eorum, de quibus ſcribo, cognitionem mihi compararem: ac quid perfecerim, opus ipſum teſtabitur. Porrò, vt equitandi, dicendi, belligerandi artes inuentæ ſunt, non pro his, qui ipſarum notitiam habebant, ſed earum vſu indigebant: ſic & ars benè gubernandi eſt Principis inſtitutioni conueniens, cuius particula eſt, doctrina rerum hoc libello contentarum: neceſſaria non ſcientibus, ſed imperitis ac eius cognitione deſtitutis. Ad extremum, pro maiori defenſione & autoritate huius opellæ, rem conuenientiſſimam me facturum ſum arbitratus, ſi eam ad Tuam Maieſtatem, tanquam ſcholam rectæ perfectæque gubernationis ablegarem: optima ſpe, illa ibi benignè, examinata, erratorum ac lapſuum corrigendorum mihi commoditatem fore: ac quicquid boni ipſa continebit, non tantùm locum habiturum, ſed &

ſpeculi



ſpeculi inſtar futurum, in quo totius mundi Principes ſe contueantur, eo quòd & ex aula & manibus prudentiſsimi & Maximi Regis PHILIPPI prodeat. Vale.



IDEA CONSILIARII.
Hoc est,
DE CONCILIIS ET CONSILIARIIS PRINCIPUM,
eorumque qualitatibus, Virtute ac Electionibus,

LIBELLVS:

EX FRIDER. FVRII CERIOLAni Tractatu Hispanico, De Institutione Principis, in Italicam, inde in Latinam linguam translatus.

INTERPRETANTE SImone Shardio S.I.V D.


Oncilium Principis est certa concio vel congregatio hominum selectorum, ad consulendum Principi, vel pacis, vel belli tempore: cuius opera præteritorũ meminit, præsentia cernit, futura prouidet, suarum machinationum felicem successum, consequitur, incommoda effugit: aut, si id fieri nequeat, viam, qua illa leniantur, inuenit. Hanc concionem quidam Consilium appellant, nomine ei à fine indito, propter quẽ

inuenta

inuenta est : nec malè. Sed mihi certis de caussis, quas breuitatis caussa omitto, visum est id appellare Concilium. Veruntamen per me cuilibet liberum est, ea scribendi ratione vti, quæ illi optima videbitur : quòd, quantum ad hunc sermonem attinet, Concilium, siue Consilium, re idem sint. Itaque, vt ad propositum reuertar, Concilium, respectu ad Principem habito, vicem omnium sensuum ipsius ferè sustinet, intellectus, memoriæ, oculorum, aurium, vocis, pedum, manuum: ad populum verò ratione habita, patrem, tutorem & curatorem refert. Quòd si Princeps & Consilium simul respiciantur, Dei vices in terris gerunt. Hinc efficitur, constitutione boni Concilii, Principi suo essentiam tribui, debitam existimationem conciliari, populum sustentari, vtrosq; (Principem intellige atque Consiliarios) veros atque legitimos ministros Dei esse. Econtrariò autem, malo concilio non solùm Principis existimationem labefactari, sed & penitùs euerti : ipsumque lapidem fieri eiusdem formæ, quam veteres Romani Termino Deo attribuerunt : populum verò destrui, atque in extremam perniciem conijci: vtrosque, hoc est, Principem & Consiliarios,

rios, defectione à voluntate Dei, mancipia diaboli fieri.

Hæ res tanti ſunt momenti, vt maioris in hac vita inueniri non exiſtimem, & ideo, mea ſententia, Principi diu noctuq; ad vigilandum pro inueniendo & conſtituendo Cõcilio, cui nihil deſit.

Alii alia de hoc ſcripſére, & forte nõ malè: ego verò, qui rationem, experientiam, & regulas magnorum Principum ſequor: exiſtimo, quòd quamuis Concilium Principis reuerà vnicum tantùm ſit: nimirum cùm caput vnum, quod Princeps eſt, habeat, tamen eius in plurimas partes, capiti congruentes, diuiſionem neceſſariam eſſe. Nam ſicut genua, brachia, & alia mẽbra, quantumuis loco, forma, officio differunt, vnum tãtùm hominem conſtituunt: ſic etiam Concilium, licet neceſſitatis cauſſa in multas partes diſtinguatur, non niſi vnicum corpus efficiet, hoc eſt, bonam gubernationem & defenſionem, cuius caput eſt Princeps: membra, diuerſa conſilia. Quare regulam ordinandi Concilii daturo, ante omnia oſtendendum, quot conciliis Princeps opus habeat: quot Conſiliarii, Præſidentes, Tabelliones, & quã periti atque idonei in quolibet ipſorum requi-

qui-

quirantur: quæ cuiusque autoritas, existimatio ac præcellentia esse debeat, qua hora, quo tempore, & quo modo, negotia ab ipsis sint proponenda: quibus supplices libelli offerendi: quibus cura vrgendi negotia demãdanda: qui consignandis rebus præficiendi sint, cum aliis eiusdem generis. Similiter quoque eidem conuenientia Conciliorum ostendenda est, ne peruerso atque præpostero ordine negotia confundantur. Adhæc cõmonstrandum, quomodo caussæ in Concilio proponendæ, & postea ad Principis cognitionem deferendæ sint.

Hunc itaque ordinem mihi amplectenti conuenit, à PRIMA parte incipere, ac demonstrare, quot Conciliis Princeps opus habeat. Censeo itaque, nec plura, nec pauciora eorum septem esse debere, &, vt clariùs loquar in re magni momenti, denuò dico, cuilibet Principi septem Concilia, muneribus, negotiis, ministris, dignitate ac potestate differentia, instituenda esse, si feliciter ac commodè prouinciam regere & administrare velit, quæ Concilia hæc sunt.

Primum itaque Concilium ærario & publicæ pecuniæ præficiatur, id quod Concilium quæstorium appello: sitq; constitutum

ad

ad reditus Principis, tàm extraordinarios quàm ordinarios recipiendos, colligendos, conseruandos & amplificandos. Consideret vnde, qua ratione, & qua opportunitate pecuniæ extraordinariæ conficiendæ, tributa imponenda, & ærario tenuitate vectigalium ac tributorum laborante, ea augenda & multiplicanda sint. De rationibus, quibus tributa superuacua, damnosa, aut intolerabilia remoueantur, cogitet: similiter quoque impensarum, quas Princeps belli tempore facit, curam habeat: sic, vt superuacuæ atque inutiles demantur: & si quæ augeantur, necessariæ sint. Aerarium namque Principis non solùm pecuniarum accumulatione, sed & impensarum superfluarum imminutione collocupletatur. Ad extremum, hoc Concilium, Principis thesaurus, vel (vt Romani loquebantur) ærarium sit. Prouincia, cui tale Concilium deest: vt sibi onera intolerabilia imponi, Principem inopia atque ære alieno premi, eius prouentus ad nihilum recidere, populum deglubi, quasique euiscerari conspiciat, necesse est.

Secundum Concilium politicis negotiis destinetur: idq; est, quod vulgò à gubernatione cognominant, Vocet id quisque quo

nomine

nomine velit : mihi id Concilium togatum dicere liceat. Hoc verò Concilium rebus ciuilibus, vt Iurisconsulti loquuntur, occupetur: hoc est, animaduertat in Vicarios, Rectores, Iudices, Duces, Præsides castrorum, Præfectos, Centuriones, Consiliarios, & alios ministros Principis, tàm togatos, quàm sagatos, an officium faciant nec ne, an sint vel exautorandi vel retinendi: quales eligendi, & quales repudiandi sint: denique, ne vel in stipendiis, vel commeatu quid falsi committatur, videat. Pariter quoque curet, vt impensæ Principis ordinariæ & extraordinariæ, & belli & pacis tempore, opportunè soluantur. & vt cuique à Concilio quæstorio satisfiat, iubendi potestatem habeat: nam collectio & conseruatio pecuniarum, Concilii quæstorii erit: erogatio verò, autoritati & mandato togati relinquetur: ita vt ne terũcius quidem absq; eius consensu expendatur. Postremò consideret, cum quibus pax sit facienda, fœdera ineunda, amicitia fouẽda, beneuolentia vel re vel verbis simulanda: atq; in hisce perpendet, quomodo, quamdiu secretóne an publicè hæc fieri debeant: & vt hæc finiam, Concilium hoc quasi caput conciliorum reliquorum erit.

Ter-

Tertium Concilium sit militare, idque eodem nomine vocetur. Ad huius verò curam spectabit, videre, quomodo ciuitates sint muniendæ: limites seu fines custodiendi: quot stipendiarii pace & bello ipsis imponendi, cum eius generis aliis. Præter hæc, veterũ exercitationes & belli rationes consideret, eaque cum sua ætate conferat, vtrorumq; discrimen intelligat & sciat ordinare equestres atque pedestres acies, norit, quæ gens in vtrisque plus polleat: quæ artes ac rationes hactenus inuentæ sint, vel in posterum inueniri queant, castrametationibus vel vtiles vel noxiæ. Metietur vires Principis, & eius hostis, quantæ eæ coniunctæ cum confœderatorũ esse queant, vel non: quantæ eæ iam sint, & quàm magnæ accessione aliorum effici possint. Memoria quoque teneat, omnia bella Principis sui, & eius majorum, hoc est, qua de caussa illa mota sint, quomodo gesta & administrata, quibus conditionibus composita, ac quô, quæque partium ad tales conditiones dandas ac recipiendas inducta sit. Hoc idem Concilium sciet potentiam Principis, eius vicinorum confœderatorum, omniumq; eorum, qui vel amici vel inimici fieri possint. Ex hoc namque

per-

perſpicietur,ſi hoſtis viribus ſuperior ſit, pacem bello præferendam: ſi ei potentia pares fuerimus, alia conſilia ſequenda eſſe. Ac ſi hoſte inferiores ſimus, conſideret, an ne copiis, an armis, an ducibus belli, an exercitatione, an pecunia, an autoritate, vel fide, vel amicis, vel confœderatis, vel commeatu, vel aliis rebus ſimilibus. Quibus viſis & benè examinatis, Concilium hoc itidem diligenter perpendet, quæ non ſolùm pro defenſione, ſed & victoria paranda, ſuſcipienda ſint.

Clarum namq; & manifeſtum eſt, ingenium viribus præſtare, vimq; conſilii expertem mole corruere ſua. In quo regno tale Concilium conſtitutum non eſt, ibi Princeps in omnibus negotiis bellicis, quæ ſuſcipit, delinquit: bellum intempeſtiuè mouet, eius adminiſtrandi vel conficiundi inſcius, omnia ad fortunæ arbitrium reiicit, nec quicquam conſilio agit victoria obtenta effertur, nec ea commodè vti ſcit: cladē accepta, animum Principe dignum, imbellis ac fragilis muliercułæ inſtar, præ impatientia abiicit, crines lacerans, pectus verberibus contundens, ac ſe lamentis lacrymiſque dedens: ſi non in publico, ſecretò tamen, & pro conſeruatione regni ac auctoritatis, nullam humilimi & abiectiſſimi ani-

animi ſignificationem reformidat, ad conditiones pacis vel induciarum iniquiſſimas recipiendas, turpiſſimè deſcendens.

Hominum imperitorum ſententiæ, vel potiùs ſtoliditates, tali caſu, auditu perquam ridiculæ ſunt. Alios namque audias fortunam accuſantes, minimè perpendêtes, quòd vbi prudentia dominatur, fallaci fortunæ locus non ſit. Alios verò dicentes, Deo ita placuiſſe, ac viſum eſſe. Ego in Dei potentiam minimè inquiro, ſed interrogando, aio cum D. Paulo, an nè Deus ipſis arcana ſua enunciarit? vel literas manu ſanctæ Trinitatis ſubſignatas acceperint, quibus ita rem eſſe, vt narrant, certò ſciant? Alios confitentes audies, noſtris peccatis hæc attrahi: eaq́ue veritas eſt. Nam errores & lapſus Principis, eiuſq; Conſiliariorum, peccata ſunt, quæ nobis & alijs publicas calamitates accerſunt. Verùm ne nimium vagetur oratio, concludendum dico, interim dùm Princeps carebit concilio militari quale ſuperiùs deſcripſi, nemo admiratione afficiatur, re malè in bello geſta vel adminiſtrata. Quare in hoc diligenter ſibi proſpiciat.

Quartum concilium annonæ præponatur, idq; Concilium frumentarium appello.

Erit

Erit verò eius officium, pacis & belli tempore, prouinciæ de annona prospicere. Vnde necesse est, vt cognita & in tabula quasi descripta habeat, omnia ipsius prouinciam concernentia: vtpote quantum commeatus habeat, quantum supersit, vel desit, quantum vel mari vel terra aduehatur: vnde, quomodo, & quo tempore apportetur, cum alijs eiusmodi. Omnis generis commeatus ad hoc Concilium reijcietur, nec eo inscio aut inconsulto cuiquam dabitur. Tali Concilio instituto, vt id necessitas ipsa exigit, tàm belli quàm pacis tempore, annona vitæ necessaria affatim atq; abundè suppetet: ita vt pars eius populis, quorum amicitia atque mutua negotiatio regno vsui est, impertiri possit. Sine eo verò, omnia sunt perdita, & deplorata: quælibet prouincia angustiis infinitis premitur, paucorum auaritia vel malitia: necessaria ex regno asportantur: amicis laborantibus minimè succurritur: hostes ampliter & ad satietatem vsque nostris pecunijs fruuntur. Quare fit, vt sæpè, quæ nobis cum alijs societas est, vel flaccescat, vel insigni rerum nostrarum iactura dissoluatur. Insuper talis concilij inopia, non raro Intestina bella in regnis excitari

citari videmus: vbi homines iuxtà & pecora fame diuexantur, exercitus fame ac rerum penuria coactos, aut cum pudore militiam deserere, aut pacem, vel inducias, vel confœderationes, cum quibus non debebāt, intempestiuè inire. Ex quo tandem sequitur, vt Princeps autoritate apud extraneos, beneuolentia apud suos excidat. Duo namque populi animos Principi præcipuè deuinciunt: Primò, defensio contrà iniurias ac oppressionem potentiorum: Deindè, confœderatio cum iis gentibus ac terris, quorum commerciis subditi carere nequeunt.

Quintum Concilium est Iurisprudentium id Concilium Legale nominabo. Ei verò incumbito, considerare quibus officiis, magistratibus ac rectoribus prouincia indigeat. Videto qua scientia, dignitate & potestate quique esse debeāt. Idem numerum deficientium suppleto, superfluos atque ineptos remoueto. Ei legum bonarum cōdendarum, malarùmque abrogandarum cura esto. Idem leges protegito: ac vt inuiolabiliter obseruatæ, debitæ executioni mandentur, omni studio prospicito. Talis concilii defectu in quibusdam regnis ac ciuitatibus, pauciores, quàm publico commodo conue-

niat.

niat, magiſtratus eſſe, in aliis plures, quàm par ſit: & quod omnium peſſimum eſt, ſæpiùs officia inter ſe penitùs, vel magna ex parte contraria inueniri videmus. Hinc diſtractiones, factiones, ſeditiones, expilationes & lites innumeræ oriuntur: quæ nunquã finierunt, nec finientur, niſi per coniurationes, quibus aut manus Principis cæde polluuntur, aut ei principatus ademtus alteri confertur. Multi hanc partem ſicco pede prætereunt ac negligunt, minimè perſpicientès: *Sementem anni præſentis, cauſſam meſsis anni inſequentis eſſe.* Quid itaque prodeſt cõmemorare vtilitates, quas leges prudenter rogatæ & abrogatæ, fixæ ſiue refixæ adferũt? Sanctè iurare auſim, ex centum litibus, nonaginta quinque non aliunde naſci, quàm ex ipſis legibus: quæ cùm noſtra ætate antiquatæ ſint, nec obſeruentur, vel obſeruandæ ſint, nec extet Conſilium, cuius autoritate mutentur, vel emendentur: Aduocatorum & Doctorum ambitioni & auaritiæ materiam miniſtrant.

Sextum Concilium ad mulctas & pœnas deſtinatum ſit: Idq; Concilium criminale dicetur: & omnium cauſſarum criminalium, quæ ad Principem deuoluuntur, cognitionem

nem atque iudicium ſuſcipiet : ſimul in ipſis ſecundum leges ac mores terræ, in qua delicta committuntur, pronunciabit.

Septimum Concilium Cenſorium ſit, eodemque nomine vocetur. Habeat autem officium inſpiciundi beneficia & maleficia in vniuerſum, inquirẽdo diligenter de vita, qualitate, virtute, moribus & actionibus cuiuſq; : quò præmium virtuti non rogantium decernatur, id verò poſtulantibus digna remuneratione obtingat. Nã ſi quis ob malefacta pœna afficiatur, vt & propter benè atq; præclarè facta honoretur, æquum eſt. Cuiuſque Principis liberalitas, vt huius Concilij manu dirigatur neceſſe eſt, nec vlla eo incõſulto cuiquam gratia fiat. Eius Concilij defectu, in aulis Principum plerunq; virtutis rationem non haberi videmus, ſed pleraque vel fauore, vel largitionibus atque corruptelis geri. Vir virtute ornatus, atque ad res gerendas idoneus, aut non reſpicitur, aut repellitur, aut tardè virtutis teſtimonium conſequitur. E conuerſo ſtultus, adulator, ſannio, ſcurra, leno, in pretio eſt, fauore ac gratia valet, & ampliſſima quæque præmia reportat. Quid verò inde ſequitur? Bonorum indignatio: indignationem vindictæ cupidi-

tas:

tas: vindictæ cupiditatem factiones, tumultus ac cædes: hæc Principis regniq́; totius interitus atque ruina comitatur.

Hæc sunt septem Concilia, quæ ad gubernationem regni necessaria sunt, idq; cùm alijs de caussis, tùm verò ob hanc maximè, quòd ita conciliis distinctis atq; diuisis, negotia meliùs expedientur: Princeps querelarum multitudine exoneratus, in quiete ac tranquillitate consistet: Subditi à diutina caussarum prosecutione liberi atque soluti vitæ, tempori atque fortunis parcent Consiliarij negotiis distributis ac segregatis, paucioribus occupationibus obruentur.

Vidi, id quod cum extrema pernicie coniunctum est, quatuor aut sex hominibus, omnia pacis ac belli, pœnarum, præmiorum, redituum, annonæ, & aliarum arduarum rerum negotia imponi Ratio verò & experientia testantur, fieri non posse, vt quis multa simul & rectè curet. Quare quotquot Consiliarij Principum hanc difficultatem non animaduertunt, meo iudicio cæci sunt: qui verò ea intellecta, Principis sui autoritate, multorum Conciliorum, in quibus negotia ratione commemorata distribuantur, institutionem non promouent, auari, ambitiosi

tioſi, imprudentes, ac Reipub. exitioſi cenſendi ſunt. Nam quia ſoli in pretio eſſe, rem ſuam collocupletare, votiſque ſuis potiri ſtudent, quid de publico fiat, parum ipſis curæ eſt.

Materiæ huius campus immenſus eſt, in quo ſi excurrere atque vagari vellem, non ita citò eius finem attingerem: ſed ſufficit ex his reliqua intelligi. Res Principis cõſideratione & cura digniſſima eſt, ne officia diuerſa vni Conſiliario iniungantur. Id melioris intelligentiæ gratia clariùs oſtendo: Conſiliarius, qui reditibus præpoſitus eſt, nequaquam patietur, ſe ad quod aliud ſex conciliorum trahi: & quod de hoc dico, id etiam de aliis intelligo, vt quiſque vni concilio, non pluribus ſeruiat. Aliàs enim facilè fiet, vt concilia breui temporis ſpatio in eum locum redacta, nomine quidem ſeptem ſint, re autem ipſa non niſi vnum: ac Principatus in incommoda atque pericula, quæ ſuperiùs attigi, incidat: vt interim breuitatis cauſſa alia omittam, quæ inde naſci poſſunt.

Cæterùm quò hæc Concilia benè & perfectè conſtituantur, ordinis ratio expoſceret, ſingulorum ſingulas partes ac circumſtantias, quarum in principio huius Capituli

men-

mentio facta est, percurri. Id quod vt clariùs fiat, hic tractatus in libros septem diuidetur: ita, vt cuiuslibet concilii declaratio, peculiarem librum sibi attributum habeat. Verùm quia qualitatum tractatio, ad personas quod attinet, par est in omnibus, licet varietate officiorum differant: ideo in genere partes & qualitates boni Consiliarij prosequar: atque eo ipso, libro primo, de Concilio & Consiliariis, colophonem imponam: reliquos septem, cum Deo visum erit, continuaturus.

QVIBVS ANIMI QVALITATIBUS ac ornamentis Consiliarius præditus esse debeat.

CAPVT II.

CONsiliarius est persona idonea, electa ad negotia, & executionem rerũ pertinentium ad vsum Conciliorum, de quibus antè dixi, vnde in Consiliario res duæ notandæ: Vna est, habilitas ipsius ad negotia, quæ cõsistit in hoc, vt par sit negotiorum, quę ei imponũtur, administrationi: Altera est electio, quæ ad Principem refertur: ita vt industria sit Consiliarii: electio verò Principis. Nos de

vtroque videbimus, & primò de habilitate, quæ dupliciter in homine consideratur: nam ea vel animi vel corporis est. In sequenti capitulo ostendetur, quomodo habilitas Consiliarij ex corpore sit iudicanda. In hoc qualitates animi, quarum sunt quindecim, breuiter explicabuntur.

Prima itaque est, vt Consiliarius ingenio celeri atque alacri sit: Alacritas namq; principium, medium & finis est præclararum actionum. Ni virtutes, quotquot in hominem cadere possunt, coniunctam alacritatem habeant, vi sua atque efficacia destitutæ, nullius momenti vel ponderis sunt. Experientia docet, præceptores, magistros, interpretes, artifices, libros ac gubernatores, præceptiones ac commonefactiones parum proficere apud hos, qui ingenio stupido, hebeti ac rudi sunt: idq; adeò, vt vel multitudine præceptionum, vel assiduo labore, vel longo tempore, nihil aut parum promoueant. E conuersò autem ingenium docile ac alacre, paucis præceptionibus, minimo labore, breuique temporis spatio, ad exoptatam metam peruenit. Et vt hæc pars breuissima oratione concludatur, ingenium rude ac hebes, est instar agri natura sterilis: qui quam-

quamuis sæpius colatur: tamen succum non habens, vel paucos, vel malos, vel immaturos fructus reddit: Sic vbi nullus ingenij vigor est, virtutis eximiæ fructus minimè sperandus est. Hæc ergo prima nota sit, quæ Consiliarij habilitatem demonstret.

Ingenium porrò tale, quale hic exigo, Principis experientia, non aliorum relatione, cognosci velim. Sint itaque eius cognoscendi regulæ huiuscemodi, quibus, si Princeps penitùs amens non sit, tam id perspiciet, ac si meridiana luce solē videat: idemque obseruabo in reliquis circumstantiis ac notis. Ad rem vt veniam, anteà dixi, sola experientia qualitates cognoscendas: hæc verò ex dictis & factis cuiuslibet sumitur. Porrò dicta ingeniosi singularia sunt, opinione vulgi excellentiora. Nam vt res ratione vulgari non comprehendit: sic & eadem de ipsis disserit: in principio & fine mirus, in dicendo argutus, in respondendo promptus, in arripiendo facilis, in docendo clarus, iocando suauis, in serijs cautus, & in versanda natura ita studiosus, ne virtutis immemor conspiciatur. Nunquam præclarum & illustre ingenium via publica ambulat, vulgari modo loquitur, sese venditat, in

ſermone vacillat, vel malè ſibi conſtat. Certiſſimum humilis ingenij ſignum eſt, vel ſuis æmulis, vel Principis ſui, vel alterius opinionis ſectatoribus, vel nationibus exteris, ſiue Iudæis, ſiue Mauris, ſiue Christianis obtrectare. Ingenium namque ſolers, quocunque ſeſe conuertat, & bona & mala videt, bona laudat & amplectitur: mala verò reprehendit, & abſque inſectatione & iniuria cuiuſquam refellit. Inſuper ingenii præclari actiones alacres, & actuoſæ eſſe conſueuere. Semper etenim meditatione ſingulariũ rerum occupatur, omnia videre, comprehendere, quaſiq́ue manibus palpitare geſtiens, multa legens, conferens, & cum omnis generis hominibus verſans. Ad hæc, præterita ſcire, præſentia intelligere, de futuris iudicare cupiens, multa inueſtigans, non contentum vnius vel alterius cognitione, plus alijs in rebus ſuſceptis diligentiæ atque laboris collocans. Idem ingenium in iuuentute vigens, multiplices fructus profert, & iuxtà Platonis dictum, agro fertiliſſimo ſimile eſt. Nam vt is ob nimiam pinguedinem, malis ac bonis herbis producendis accommodatus eſt: ſic etiam celebriorum Ducum, Principum ac Philoſophorum ingenia, cum

ma-

maximis virtutibus & vitia inſignia protuliſſe leguntur. Veruntamen ingenium tale, de quo loquor, vbi ad maturam ætatem, quã anno trigeſimo definio, peruenerit, bonos ac ſalutiferos fructus edit: & vt omnia verbo dicam, verè diuinum eſt. Viciſſim autem animus remiſſus, negligens, gulæ, luxui ac voluptati deditus, artiũ honeſtarum & arduorum negotiorum rudis, exterarum nationum contemptor, turpis, inglorius, deprauatus, ac ne inter mediocres quidem cenſendus eſt.

Secunda qualitas atque nota, quæ habilitatem Conſiliarij demonſtrat, eſt eloquentia. Nam cum homines ratione & oratione à brutis animantibus differant, veriſimile eſt, prout quiſque ipſis excellentior eſt, ita gratia dicendi eum maximè valere: quare Conſiliarium eloquentia maximè excellere volo. Indies namque accidit, vt Principi, quis ſuorum Conſiliariorum vel in exteras terras, vel ad quandam ſuarum ciuitatum aut prouinciarum ablegandus ſit: idque ad ſuadendum ſeu diſſuadendum, accuſandum vel defendendum, laudandum vel vituperandum, gratulandum ſeu condolendum, & res ſimiles. Quàm verò neceſſarium, ac cum

commodo & vtilitate Principis coniunctum sit, id rectè fieri, atque vicissim in eo peccari, turpe atque damnosum Principi existimetur, quis non videt ? Adhæc in seditione & tumultu exercitus, motu populi, & alijs factionibus illicitis, quantò quisque eloquentior, tantò ad motus sedandos accommodatior est. Præterea eloquentia facit, ad respõsa grauia & arguta exterorum Principum legatis, qui ad negotia cum Principe tractãda venêre, vel voce vel scriptis reddenda. Hanc animi qualitatem experientia cognoscendam existimo: quæ hæc sit: vt Princeps consideret, quomodo Consiliarius animi sui sensa exprimat: quare in colloquio & sermone eum compellet, atque cum ipso ratione otij, vel horam vnam, vel duas, vel pauciores colloquatur, historiarum recitationem ab ipso exigat, quò videat, quomodo filum orationis abrumpat vel producat, qua ratione proponat, diuidat, continuet atque concludat: idque qua gratia, quo ordine, & qua proprietate dicendi. Præterea ex operibus hæc animi qualitas cognoscitur, considerando quod antè eloquentię documentum ediderit, quantum ei temporis atque diligentiæ impenderit: & si quid antè in lucem protulerit,

tulerit, id excutiatur. Quinetiam, re exigẽte, cubiculo includatur, Principe ſimulante, vel gratulatorias, vel lamentatorias, vel alterius argumenti ſcribendas, eaſque in ſua præſentia confici iubeat.

Tertia animi qualitas, index idonei Conſiliarij eſt, multarum linguarum cognitio, maximè eorum populorum, quibus princeps imperat, amicis, aut hoſtibus vtitur. Id meliùs intelligetur per exemplum. Sit itaque Conſiliarius regis Hiſpaniarum, qualis modò eſt. Hic præter linguam vernaculam benè ſciat Latinam, Italicam, Arabicam, Gallicam, Germanicam: idque ea de cauſſa, quia ſubditi lætè ferunt, ſe intelligere, & intelligi ab his, quibus cum negotia habent. Meliùs quis animi ſui ſenſa aperit, & meliùs intelligitur eadem lingua vtens, quàm ſi interpres adhibeatur. Quin etiam, ſi quod in dies accidit, res aduerſæ, graues, vel arcanæ Conſiliario magni Principis ſint patefaciendæ, eæ potiùs remotis quaſi arbitris, quàm tertio teſte accedente, exponuntur. Quantum porrò ea cognitio iuuat ad legationes vicinorum audiendas, ſiue eæ amica, ſiue hoſtilia adferant? Si ſint amici, in amicitia conſeruantur, videntes ſuam lin-

guam in ore Consiliarij : sibi namque persuadent, id ex amore & obseruantia proficisci, & quantumuis in hoc fallantur: frustratio tamen hæc minimè inutilis est. Si inimici, hac occasione beneuolentia eorum acquiritur, vel si hæc vtilitas absit, ex tenore & modo verborum eius, ex frontis contractione, superciliorum motu, euagatione à proposito ad aliud semper aliquid intelligitur, quod Consiliarium fugiet ignarum linguæ, qua aduersarius vtitur, interprete interueniente. Neque id omittendum est, rarissimè interpretes inueniri, qui perfectè res interpretandas declarent, ac bona fide referant, semper quid vel adimentes vel adiungentes. Quid quòd explorator veniet, ex cuius relatione salus & honos totius regni pendet, nuncium adferens, quod dilationem non patitur, in re tali vitium maximum est, si interpres quærendus sit: nam aut in puncto non inuenitur, aut explorator ei diffidit, aut interpres id poterit detegere, & si quæ alia sunt incommoda. Accedit, quòd hunc, qui multarum linguarum cognitione valet, necesse est multa vidisse atque legisse, aut cum varijs hominibus communicasse: & vel penitùs, vel pro parte, mores populorum, quo-

rum linguam nouit, ſcire. Eaq́ue res admodum neceſſaria eſt Conſiliario, in deliberatione rerum, quæ indies offeruntur. Alias rationes vitandæ prolixitatis gratia prætermitto, cùm meo iudicio res ſit, quę exemplis & lenocinijs verborum minimè indigeat. Huius autem qualitatis cognitio experientia conſtat, nimirùm, vt Princeps Conſiliarium, ſe præſente, ſcribere vel loqui curet, nec aliorum relationi (quę plerunque fallax eſt) nimium confidat.

Quarta nota idoneum Conſiliarium declarans, Hiſtoriarum cognitio eſt: nimirùm ſi viderit & legerit ſingulari attentione & diligentia, omnium ſeculorum memoriam: maximè autem Hiſtorias ſui Principis, nec non amicorum, vicinorum & inimicorum eius. Hunc, qui in lectione hiſtoriarum diligenter verſatus eſt, & verum fructum ex ipſis, decerpere nouit, perfectum Conſiliarium fidenter dixero. Nihil tali deeſt: in omnibus negotijs gubernationis eſt exercitatus: imò viua quodammodo exercitatio & experientia cenſetur. Hiſtoria namq; nihil aliud eſt, quàm collectio rerum omnibus ſeculis: experientia multorum hominum cõprobatarum. Detur mihi Hiſtoricus, qui ex

memoria rerum veterum veros fructus demetere, & germanum ſuccum haurire ſciat: hic experientiam maiorem negotiorum habebit alijs, qui viginti annorum ſpatio in eorum tractatione ſe exercuerunt. Nam, vt exemplum à re militari ſumamus: Veteranus miles aut dux, in tot annorũ curriculo quatuor conflictibus, centum leuibus prælijs, quinquaginta obſidionibus, duodecim ſeditionibus, quinque pacificationibus atque inducijs interfuerit, vel etiam pluribus: Hiſtoricus verò innumerabilium conflictuum, præliorum, obſidionum, ſeditionum, induciarum ac pacificationum experientiam habet. Quæ autem eſt comparatio atque proportio finiti ad infinitum? Præterea hic veteranus ex viginti annorum experientia cognoſcit ſaltem naturam duarum, trium aut quatuor nationum: Hiſtoricus omnium. Idẽ veteranus ſua experientia vel decimã partem militiæ nunquam cognoſcet: nec enim tàm breui temporis ſpatio vſus rerum omnium occurrit: Hiſtoricus autem econtrà omnia ſcit, omnia intelligit, nec vlla res eius inſpectionem effugit. Quid quòd veteranus quantumcunque viginti annos militiam ſecutus ſit, bellorum cauſſas, progreſſus atque exi-

ctus rarissimè intelligit: eorum administrationem, stratagemata ac difficultates ignorat: consiliorum, intercessionum ac necessitatum, quę paci, concordiæ, compositioni occasionem dedêre, penitùs inscius: Historico hæc omnia constant, id quod (vt ita dicam) belli anima est: reliqua verò quasi particula saltem corporis. Porrò quod de bello dixi, itidem de omnibus negotijs, quæ in gubernatione incidūt, intelligas: & de ipsis exemplo horum iudicabis. Ac licet contra promissum, longior in hac parte fuerim: tamen quasi Epilogi loco id addo: adeò Historiæ studium circa omnium cognitionem versari, vt & leges non sint nisi Historia, quæ continet sententias atque consilia veterum prudentium, quibus Respub. constituerunt, & ciues in pace atq; virtutis cultu continuerunt: nec alia de caussa eæ hodie addiscuntur, nisi vt idem præstare valeamus. Quin etiam Medicina, historica commemoratio est experientiæ ab antiquis, medicis factæ, iuxta quam nostri iudicia & medicamina sua dirigunt. Postremò ad gubernationem Reipub. tractationem bellorum, sustentationem regni, potentiæ amplificationem, boni electionem, maliq; fugam, quid Histo-

ria

ria melius vel commodius est? Id quia pauci intelligunt, ideò tàm paucos rectè regere videmus. Quot etenim Principes inuenies, qui historias diligenter legant: & si id faciant, de vero ipsarum vsu cogitent? Nam plerunque voluptati, quam varietas negotiorum secum adfert, intenti, non considerant, quomodo eæ ad vsum domi vel foris, siue in publicis, siue priuatis negotijs sint applicandæ.

Atqui Historia non est inuenta gratia fallendi, sed lucrifaciendi temporis: ita vt quis vno die perfectè intelligat, id quod aut nunquam toto vitæ tempore, aut tardè admodum cognosceret. Namq; Historia est vitæ humanæ compendiaria instructio, exemplum morum & naturarum hominum, negotiorum index, certa actionum experientia, prudens atq; fidelis in rebus dubijs consultrix, magistra pacis, dux belli, portus ac requies omnis generis hominibus. Itaque Consiliarius historiarum cognitione instructus sit, ac vtinam, vt hæc rectè dicuntur: sic etiam accipiantur.

Cæterùm hanc qualitatem, vt & alias, experientia cognosci cupio, hoc modo: vt Princeps cùm aliarum rerum, tùm harum

atque ſimilium , quæſtiones ipſi præponat. Quoties (ne ab exemplis Hiſpaniæ meæ longiùs recedam) mutationes in regno Hiſpaniæ, Galliæ, & Angliæ acciderint: quæ familiæ regna poſſederint: qua occaſione: quã-diu? quæ mutationis cauſſa extiterit: quot ex quaque familia rexerint? Quis ipſorum clariſſimus vel obſcuriſſimus fuerit? quot quiſque bella geſſerit? contrà quem. quo tempore? qua occaſione bella mota atque compoſita ſint? Ab annis mille quingentis, Hiſpani & Galli quot prælia commiſerint, in quot vtriq; victores & victi fuerint? Quæ vtriſq; victoriæ & cladis cauſſa fuerit? Quot intra duo millia annorum, tumultus ac motus in Hiſpania & Gallia excitati? ex qua cauſſa? quomodo compoſiti? quid denique boni vel mali attulerint? Is qui benè ad has, ſimiléſq; quæſtiones reſponderit, quin bonus Hiſtoricus cenſendus ſit, dubium non eſt: atque re & tempore exigente, verum hiſtoriarum vſum explicare ſciat.

Quintò ad Conſiliarij habilitatem pertinet ſcientia, quibus extremis ac finibus virtutes & vitia definiantur. Ignorantia enim huius, multos in errorem abducit: ac Conſiliarius vulgari opinioni aſſentiens, impru-

den-

dentiæ labem effugere nequit. Complures namque, imò ferè omnes huius inſcitia, hominem quietis amantem, timidum: aſtutum, proditorem: rudem, bonum: ignauum, manſuetum: imperitum, vel vitio naturæ, vel laboris fuga', ſimplicem: iracundum, apertum: ſuperbum, magnificum: furioſum atque veſanum, fortem: prodigum, liberalem: auarum, prouidum: ſuperſtitioſum, ſanctum: doctum, curioſum: ſtultum appellant: ac ſimili ratione reliquis vitijs atque virtutibus contraria nomina, pro libito imponunt. Id autem vitium maximum, & verè diabolicum eſt: & ſi Conſiliarius ei obnoxius ſit (vt eſſe obnoxium neceſſe eſt, ſi proprietates virtutum rectè diſtinguere neſciat) Principem cum regno deſtruit atq; euertit. In omnibus namque rebus, de quibus deliberatio incidit, primò conſultatur, honeſtum nec ne ſit: nec minus in muneribus atque officijs diſtribuendis virtutum ac vitiorum diſtinctio neceſſaria eſt, ne album pro nigro accipiant. Quòd ſi cognitione huius partis Conſiliarius deſtituetur, fieri nequit, quin Princeps in remuneratione beneficiorum ſæpiùs decipiatur. Quare tandem infero, hanc eſſe vnam qualitatum,

quæ

quæ maximè Consiliario sint necessariæ. Eam verò Princeps in Consiliario suo probabit, ipsum de hisce atque similibus materijs interrogans: Quæ homini ad summum bonum aspiranti necessaria sint? Quid faciundum, vt populi amor acquiratur? Qua ratione efficiatur, vt alicui in omnibus dictis fides adhibeatur? Ob quas res populus, quem omni honore ac laude dignum iudicet? In quo fortitudo modum exuperet? Quæ ad iustitiam requirantur? cum multis alijs similibus. Ex quibus cognosci poterit, quæ Consiliarij sapientia sit. Nec minor experientia ex actionibus eius sumetur, inuestigatione facta, quibus præceptoribus sit vsus, vbi studiorum gratia vixerit, cum quibus familiariter versatus sit, quorum autorum lectioni operam, & quibus rebus tempus impenderit.

Sexta habilitatis nota est, vt sit versatus in gubernatione Reipub. tàm pacis, quàm belli tempore, & rebus ad ea pertinentibus. Nam cùm officium Principis in gubernatione & defensione consistat, vtrumque horum & paci & bello aptatur: sed tamen gubernationis nomen paci, defensionis bello magis conuenit. Et si vtrumque horum quomodo

admi-

administrandum sit, ignoretur, fieri non potest, vt Consiliarius quid conducibile suscipiat Ideo ei sciendum est, vniuersam societatem ciuilem corpore & anima, vt his verbis vtar, constare. Pro quo declarando, corporis appellatione, locum habitationis vel domicilij intelligi volo: in quo primò consideratur, an cœlum calidum, frigidum vel temperatum sit: situs in continenti vel maritimus, propè flumen aut stagnum, an altus, an humilis, humidus vel palustris, fertilis aut sterilis, propinquus hostibus, an ab ipsis remotus, quibus denique ventis expositus. Nam secundum harum rerum considerationem ædificia sunt extruenda, plateæ vel dilatandæ, vel coangustandæ: aliæ vento exponendæ, aliæ autem occludendæ: domus extollendæ aut deprimendæ: hîc palatia, ibi alia ædificia conueniente modo ponenda: hoc est, vel rotundo, vel quadrato, vel triangulari, prout ratio loci tulerit. Hæc quia vulgò ignorantur, ideo temeraria & imprudente ædificatione, occasionem frequentibus migrationibus præberi videmus. Ego mea ætate, viginti aut triginta millia coronatorum in publica ædificia impendi vidi, sed frustrà nulla alia de caussa, nisi harum rerum negle-

neglectione, vel ignorantia. Id verò neutiquam accideret, parte Reipub. quam corpus nomino, rectè à Consiliarijs intellecta.

Porrò animæ appellatio Reipub. formam continet: hoc est, vt consideretur, an sit Monarchia, qualis est in Hispania, Lusitania, & Castilia: an Aristocratia, vt Venetijs, & olim Spartæ: vel Dimocratia, qualis ætate nostra est Heluetiorum, qui Suiceri vocantur: vel an Reipub. gubernatio nobilitati & Regi (vt iam in Dania, & olim Romæ temporibus regum vsque ad Tarquinios) vel plebi ac Regi (vt in Persia) vel nobilitati & plebi (vt Romæ ab eiectis regibus, Lacedæmone, Athenis, & nostra ætate Florētiæ, Senis, & in alijs quibusdam Italiæ ciuitatibus) vel denique Regi, nobilitati & populo (vt in Germania, Polonia, & Arragonia) communis sit. Atque his cognitis itidem sciendum, quomodo in prædictis Rerumpublicarum formis regna dilatentur, conseruentur & amittantur, quibus legibus ac magistratibus, periculis incidentibus occurratur. Nulla ratione fieri potest, vt Consiliarius, harum rerum imperitus, principi remedium sanandis Reip. vulneribus commodum ostendat: vel consulat, quomodo ipse ergà amicos, confœderatos, hostes.

hostes ac alios sese gerere debeat: vel qua ratione eis commodari aut noceri possit. Et hactenus quidem de parte politica, quæ circa pacis tempora versatur, dixi: iam & bellica excutiatur. In hac Consiliarium scire velim, quæ virtutes ac qualitates in bono milite, Capitaneo ac duce sint considerãdæ, quomodo copiæ colligendæ, armandæ, deducẽdæ ac collocandæ: qua ratione confligendũ, recedendum & hosti insistendum sit. Quot verò modis in hoc à Consiliarijs peccari solet? Ideo censeo, Consiliarium insigni politicæ cognitione tinctum esse debere. Atque hanc quam dixi, qualitatem Princeps experientia probet, ex Consiliario sciscitando Rempub. concernentia, vt sunt hæc & aliusmodi: Meliúsne sit ædificari in solo fertili vel sterili? Quibus ventis mœnia ædificiorum sint opponenda? Quot modis principatus amitti soleat? Ex quibus caussis seditiones oriantur, & qua ratione sedari possint? Principis potentia anné in diuitijs, vel præsidio militari consistat? Quot, quantisque modis pax honestè rumpi possit, contrà eum, qui nullam eius occasionem dederit? Præstetne domi expectare hostem, an ei obuiam prodire? Quæ Principi consideran-

da ſint, ante & poſt pacis fœdera rupta, quæ itidem ante & poſt conflictum: & quæ, ſiue victor, ſiue victus ſit? Quòd, ſi quis ad has & ſimiles quæſtiones appoſitè reſponderit, facilè conijcietur, quàm vtilis Conſiliarius Reipub. futurus ſit.

Septimò, idonea animi qualitas in Conſiliario ex peragratione multarum terrarum cognoſcitur, maximè Principis ſui, amicorum, hoſtium, & vicinorum eius. Hoc verò peregrinationis ſtudium, cum cura & prudentia quadam coniunctum eſſe conuenit, non otioſum ac inconſideratum, quale eſſe ſolet hominum oſcitantium atq; erronum, qui quaſi nundinas adeuntes oculos paſcere, nihilq́; comparare ſolent. Peregrinatio, quam in Conſiliario requiro, eiuſmodi eſt: vt de gubernatione vtriuſque temporis, reditibus regnorum ordinarijs ac extraordinarijs, de mutua Principis & Subditorum beneuolentia, de munitionibus, de hominum natura, ac alijs ſimilibus rebus cognitionem capiat: quibus rebus & prudentia paratur, & quis ornatior domum redit, rebus perceptis, in quibus maxima conſiliorum dandorum pars quolibet tempore conſiſtit. Qui alia peregrinandi ratione vtitur,

tem-

tempus inutiliter perdit, frustrà bona consumit, corporis valetudinem destruit, vitæ salutem mille periculis, citrà suum vel alterius commodum, obiicit. Hinc cuiusdã Neapolitani non possum non meminisse, qui suo cognato, copiam adeundi exteras terras ab ipso petenti, respondisse fertur, vt primò Romam proficisceretur, inde reuertenti veniã, quam peteret, concessum iri. Iuuenis huic mandato obtemperans, quod iussus erat, facit: cùm autem domum rediret, Princeps cognito quòd nihil vtilitatis ex peregrinatione referret, ipsi dixit: Fili, vidisti prata, planicies, montes, valles, agros, syluas, nemora, campos, saxa, fontes, flumina, arbores, pagos, castella, ciuitates, homines, animalia, & quidquid in orbe terrarum inuenitur: domi itaque te iam contine, & quieti te da. Hic vir prudentissimus, quantum in tali re dici potuit, dixit: ac regulam mundi perlustrandi acutè dedit, abusum vulgarẽ reprehendens. Consiliarius, qui cum prudentia peregrinatus fuerit, & extera regna inter sese, & singula cum patria sua contulerit, hunc ad minus inde fructum feret, quòd meliùs bona atque mala patriæ suæ cognoscet, formam abrogandi mores corruptos, & meliores introducendi

cendi norit: sciet hospitari & excipere exteros: hominum animos meliùs perspiciet: amicinè sint, an inimici: & pro ratione negotiorum se accommodabit his, quæ conditio temporis ac Principis exegerit. Adhæc, locorum & temporum occasiones, opportunitates & difficultates sciet: nullus ei falsarum rerum relatione imponet, nec à iudicijs aliorum pendebit. Porrò hanc Consiliarij qualitatem, Princeps experientia deprehendet, interrogando ipsum de peregrinationibus, hoc modo: Quot miliaria Gallia in longitudine pateat? Quot in latitudine complectatur? Quas munitiones habeat? Vbi aditu facillima sit? Quot flumina non vadosa habeat? Quæ virtus Gallorum præcipua? Quod maximum ipsorum vitium: Quo præcipuè delectentur? In quo nobilitas Gallica ab Hispanica differat? In quo vulgus Gallicum ab Hispanico? Quod ædificiorum Gallicorum & Hispanicorum discrimen? Vter duorum Regum absolutiore sit potestate? Quo modo populus istorum regnorum Principi sese opponat? Gallorum servitia, quam dissimilitudinem cum Hispanicis habeant? Gallia qua ratione copias congreget, exerceat & instruat? Quomodo rex prospiciat, ne in transitu

agri-

agricolæ & rusticani dãno afficiantur. Quod autem dixi de vna gente, idem de omnibus alijs, quas volet, interroget: & alteram cum altera conferri curet. Neque etenim quod de Gallia & Hispania exemplum dedi, aliõ spectat, quàm vt id alijs regnis ac terris aptetur: id quod & de alijs exemplis, quæ in hoc libello inueniuntur, dictum volo. Ad extremum certissima regula cognoscẽdi, an quis, quid vtilitatis ex peregrinando retulerit, erit: si pręter exposita, diligẽter animaduertatur, quid in familiari colloquio, de terris, quas peregrinando obierit, iudicet. Nam qui de terrarum exterarum dignitate quid temerè detrahit, suamq; patriam immodicè effert, is vel affectibus indulget, vel improuidus, vel rudis, vel stultus est, nec res discernere nouit. Vbi verò deest distinctio, ibi & electio: vbi hæc, & prudentia: cum hac reliqua deinde omnia deficiunt.

Octauæ qualitatis idoneæ indicium consistit in intelligentia virium & potẽtiæ Principis, confœderatorum, vicinorum ac hostium eius. Nam vt Medicus primò omnium temperamentum & virtutes naturales in corpore humano intuetur: sic Consiliario qualis, quantaq; potentia sit Principis, con-

fœderatorum ac inimicorum eius, perpendendum est: aliàs enim nunquam consilia salutaria dabit. Ignorantiâ huius rei, Consiliarij, sæpiùs Principes, cum quibus in pace viuendum erat, intempestiuè committunt, & pacem cum his fouendam consulunt, quibus arma inferenda essent. Idemq; de fœderibus dicendum: in quibus, vt & alijs rebus omnibus, non secus ac cæci in tenebris versantur. Bonus Consiliarius vtrumque studio habet, & Principis sui, & hostium vires nosse: quanti ipsorum reditus ordinarij & extraordinarij sint: vnde, & qua ratione, & quo tempore conficiantur: quantas copias educere, quàm diu eas alere possint: quàm eæ instructæ & exercitatæ sint: quibus ducibus regantur: qui ipsis & qua ratione sint confœderati: quàm hi firmi vel debiles: quibus rebus terræ vtriusque abundent, & vice versa careant, cum alijs eiusdem generis, hic etenim est modus potentiæ alicuius Principis metiendæ. Nec hanc qualitatem alia re quàm experientia cognosci arbitror: quæ earundem rerum, de quibus iam dicere desij, sciscitatione continetur. Regula sit generalis atque certissima, hunc qui immodicè Principis sui actiones

laudat,

laudat, vires prædicat, potentiam extollit, hosti eius detrahit, eumque maledictis & opprobrijs insectatur, boni Consiliarij nomine indignum. Nam si id ignorantia fiat, ea ipsa reprobatur atque refellitur: cùm Cõsiliarium gnarum, & rerum, quas tractat, intelligentem esse conueniat. Si verò hypocrisi quadam, adulator censendus est, qui non Reipub sed sibi ac suis vtilia dicet: & consilia ad commodum priuatum, non Principis sui referet.

Nona, quæ in Consiliario requiritur, qualitas est, Reipub. studium: vt nõ saltem publicum commodum amet, sed & in eo promouendo propriam vtilitatem & autoritatem ita negligat: vt Reipub. vitam, honorem atque fortunas impendere paratus sit. Hæc est vna ex virtutibus, quam præ cæteris omnibus in Consiliario Plato effert. Res cùm verissima, tùm certissima est: verum amorem, vigilantem atque solicitum esse. porrò animus solicitus nũquam quiescit: omnium rerum cura afficitur: nullius obliuiscitur: omnia quæ necessaria sunt, prouidet, considerat & suscipit. Itaque talis, quem dico, amor, vna est optimarum qualitatum Consiliarij. Ac si verus sit atq; syncerus, multò pluris

pluris commoda publica, quàm priuata facite, omnem etenim vtilitatem atque honorem in publica vtilitate collocat: qua deficiente,&priuata neceſſariò deficiet:&ideò iacturam rerũ priuatarum publicis poſtponit. Eo modo tenuia atq; exigua creſcunt & adaugentur, acquiſita pacificè conſeruantur. Contrarium verò ſi fiat, res quoq; eodem modo ſeſe habere neceſſe eſt: id quod hiſtoriæ omnium ſeculorum teſtantur. Nãque nullum imperium in hodiernum diem vſque, vel amplificatum, vel conſeruatum eſt; niſi per homines hac Nona qualitate præditos. Et econuersò, vbi homines contrariæ qualitatis Rebuſpub. præeſſe cœperunt, eodem die talis earum inclinatio eſt facta, vt penitùs tandem conciderint. Non poſſum mihi temperare, quin vnum atque alterum exemplum ad hoc adducam. Nam licet in hoc promiſſum tranſgrediar: veniam tamen me apud æquum lectorem impetraturum ſpero: quòd exempla doctrinæ pleniſſima ſint, & earum rerum, in quibus plerunq; à Principibus peccari ſolet. Callicratides, qui dux fuit Lacedæmoniorum in bello Peloponneſiaco, cùm claſſem ſaluam conſeruare poſſet, eam ab Arginuſis remouendo, & præ-

lium cum Athenienſibus citra rerum ſuarũ detrimentum declinare, id facere recuſauit, quòd diceret: Lacedæmonios illa claſſe amiſſa, aliam parare poſſe: ſe fugere ſine ſuo dedecore nõ poſſe. Quare prælio facto, claſſis eius profligata, maximo Lacedæmoniorum damno in hoſtium poteſtatem venit. Verùm Quintus Fabius Romanus diuerſam rationem amplexus, & iniurias ſui exercitus, hoſtiumque, per contemptum atque irriſionem Cunctatorem ipſum appellantium, patienter perpeſſus, Hannibalem multis victorijs exultantem, ita cecidit: vt patriæ libertatis, & oppreſſionis Carthaginenſium autor fuerit. Vnde antiquitate & prudentia celeberrimus poeta Ennius, eum carmine ſingulari concelebrauit: quòd, quia dignum eſt Regum palatijs aureis literis inſcribi, apponere libuit:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem:
Ergo poſtq; magisq; viri nunc gloria claret.

Callicratides ſemel recedere noluit, ne gloriæ periculum ſubiret: Fabius ſæpiùs tergiuerſando prælium detrectauit, nulla nominis ratione habita. quantum itaque Reipub. profuit? Callicratides de rerum ſum-

ma

ma cum incommodo decertare, quàm ignominiosè terga vertere maluit: Fabius cum infamia fugere (ex vulgi opinione loquor) quàm Rempub. in discrimen conijcere, potius duxit. Callicratides cum amissa victoria, Rempub. vitam atque honorem perdidit, cognomine Temerarij deformatus: Fabius cunctatione, cum Repub. vitam & honorem conseruauit, gloriosum cognomen MAXIMI, à rebus præclarè gestis, referés. Id verò quod dixi de rebus magni momenti, idem & de minoribus accipi volo, eas hac commonefactione strictim attingens: ex qua & Consiliarij commodo publico consulere, & Principes iterum atque iterum animaduertere discant, Consiliarios eligendos hac nona qualitate præditos. Porrò Princeps illam experientia, quæ hæc sit, cognoscat. Simulet se quærere consilium in re commodis publicis penitùs contraria, dicens: Quantumuis ita sit, tamen pro regia vtilitate & autoritate facere. Sit, exempli gratia, legis cuiusdam singularis, aut magni priuilegij violatio, vel immoderati tributi exactio, cum alijs similibus: tunc statim responsum Consiliarij, ergà Rempub. animo arguet atq; ostendet. Alios modos, quorum

multi adhuc ſunt, conſultò prætereo: partim, quòd intellectu faciles ſint: partim, quòd haud dubiè multos quaſi aculeis pungerent. Qui aures habet, audiat. Regula certiſſima eſt, exceptione carens: *Omnes hypocritas & auaros, boni publici hoſtes eſſe, vt & adulatores, qui dicere non verentur: Omnia eſſe Regis:* & quòd de ipſis pro libito ſtatuere, onera atque grauamina, quæ velit, imponere poſſit: hoc etiam adijcientes, Regem conſilio labi non poſſe.

Decima, aptum publicis conſilijs animũ declarans, qualitas, eſt ſcientia medicinæ laborantis prouinciæ corpori adhibendæ ita, ne dum alterius partis medelæ intentus eſt, alia negligatur: prout ab imperitis medicis fieri ſolet, qui dum vni membro curationem adhibent, alteri incommodant. Ideo bono Conſiliario, omni affectione commodorum, amicitiæ, cognationis, partium, & aliarum rerum ſepoſita, vera pietas cum prudentia coniuncta, ſequenda eſt: quæ neſcit, nec poteſt, nec vult vlli plus, quàm iuſtitiæ vel virtuti fauere. Hanc cognatam, conſanguineã, & partium ſectatricem habeat: & præter hanc nihil curet, vel reſpiciat. Conſiliarius, vt omnium hominum (ita mihi loqui liceat)
homo

homo sit necesse est, omnibus aures det faciles, sine discrimine faueat: hoc tamen obseruato, vt quātò quisq; bonitate caussæ alijs magis præualere videtur, tantò maior ipsius ratio habeatur. Si quis virtute præditus (imò fortè nec præditus) æqua petat, licet ex diabolica familia procreatus, inter Garamātas & Indos natus sit: tamē ex natione, patria, ciuitate, cognatione, familia & sanguine Consiliarij prodijsse censendus, omniq; eius amore complectendus est, Si quis vicissim, malus vel non sit, iniqua postulet, licet domesticus, amicus aut consanguineus Consiliarij sit: tamen talis à natione, patria, partibus, amicitia Consiliarij excludetur: ac tantum abest, vt fauore, imò reprehensione & pœna dignissimus sit. *Aliud namque est personæ publicæ, aliud priuatæ vicem sustinere.* Non plures quàm duæ nationes in toto mundo inueniuntur, alia bonorum, alia verò malorū. Boni, siue Iudæi sint, siue Mauri, siue Pagani, siue Christiani, aut alterius cuiuscunque sectæ, eiusdem patriæ, sanguinis atque familiæ ortu censendi sunt: ac mali eadem ratione. Fateor amicis, domesticis, vicinis, gentilibus, si in æqua libræ lance cum extraneis inueniātur legum diuinarum, humanarumque, tan-

quàm proximioribus ſubueniendũ eſſe. Sed ſi extraneus grauitate rationum præponderet, ipſe alijs omnibus præferendus eſt. Vt verò hæc vna præcipuarum virtutũ Conſiliarij non immeritò eſt: ſic eius cognoſcendæ gratia, Princeps hæc faciat. Initiò animaduertat, nunquid ſuis conſanguineis, amicis atq; miniſtris indignis beneficia quærat: aut ſi digni ſint, quare ea alijs dignioribus conferri non curet. Nam qui id, vel ſimile facit, in hanc qualitatem delinquit. Videat ſimiliter, nunquid propenſior ſit huic hominum generi, quàm alteri. Sunt etenim, qui vt fauorem Baronum promereantur, nobilibus iniquiores ſeſe oſtendunt. Alij, quò nobilibus placeant, vulgus opprimunt. Hi vt brachij Eccleſiaſtici potẽtiam augeant, quo iure, quáve iniuria totum regnum deſtruerẽt. Id verò genus hominum, cùm regnum facilè peſſundare poſſit, cum primis fugiẽdum eſt. Nunquam etenim in Concilium cooptandus eſt, qui ſit factionis caput: vel regni, vel prouinciæ, cui præficiendus eſt, apertus ac manifeſtus hoſtis, partim, quia omnes natura mali naſcimur: ita vt occaſione vindictæ oblata, neutiquam ipſam prætermiſſuri, & gubernacula Reipub. tractantes, ſub ſpecie iuſti-

iustitiæ, vindictam priuatam armis publicis quæsituri simus: partim, quia aduersariæ factionis caput, conspiciens hostem apud Principem gratia, potentia ac autoritate valere, indignatione accenditur. Ea verò non amplius contra hostem, sed principem, qui defensor factionis aduersæ factus sit, toto impetu conuertitur. Ita verò complures, cùm partium vel factionum patrocinium suscepissent, miserabiliter perijsse legimus

Vndecima qualitas, ex iustitia & bonitate Consiliarij perspicitur. Nam qui hisce virtutibus præditus est, quæ cuique debentur, distribuit, malos castigat, bonos præmio afficit, mediocritatem in vtrisque obseruans, ne pœna vel asperior, vel remissior: remuneratio debito minor vel maior sit. Talis pacem & bellum suo tempore & loco, nullo in discrimine ponit. Vir iustus, fidelis perpetuò est: id quod omnium maximum in Consiliario. duco. Et experientia testatur, eiuscemodi ab omnis generis hominibus, maximis & minimis, diuitibus atque pauperibus, viris ac mulieribus, plurimi fieri & adamari. Et sanè, qui iustitiæ laudé habet, omnibus numeris absolutus merità putandus est, Huic securè & sine peri-

culo, bona, coniunx, filij, honos, vita & mors committuntur. Ne interim dicam, iustitiam inter reliquas virtutes eam esse, vt ipsæ sine hac parum possint: hæc absque alijs valeat plurimum. Quare censeo Principi cum primis animaduertendum: vt Consiliarius iustus ac bonus sit. Eius autem cognitio tali experientia capietur. Dicta hominis iusti grauia sunt, virtute nituntur, veritati consonant: idem ipse absens, qui præsens est, non aliud ore profert, quàm quod in corde recóditum habet: in dictis ac factis æquè apertus est, malefacta aliorum cum benignitate ac mansuetudine reprehendit, actiones ipsiûs comitatem ac beneuolentiam spirant, neminem animi sui sententiam cælat, plus merito nec vult, nec exigit, bonis fauet, malos castigat, & vbique virtutem colit. Idem calumnias auersatur, nugas & mendacia fugit, non aliud in ore, quàm in corde habet, nec aliud præsens, aliud absens loquitur: non est hypocrita, bilinguis, multò verò minùs delator. Nam delationes, non minùs infidelis, quàm humilis atque abiecti animi certissima argumenta sunt. Nec ad hunc vsque diem delatorem fidelem fuisse, compertum est. Adhæc, vir iustus vitia absentis non re-

pre-

prehendit, si coràm id facere possit. Quod ipsemet non viderit, vel manibus palpitauerit, vel vitæ periculo imminente non narrabit: adulatoribus, delatoribus vel calumniatoribus aures minimè præbens. Omninò facta viri iusti cognitu facilima sunt, cum singulis in pace atq; quiete viuit, suo contentus, honoribus vel diuitijs non inhiat, domum atque familiam benè compositam habet, iustam atque modestam vitam agit, in debitis soluendis minimè difficilis, contentionũ ac litium fugax. Neutiquam enim iustùs esse potest, qui iurgia, rixas, lites, contentiones atque discordiam quærit. Nec iustus censendus est, qui sua sorte contentus non viuit: sed vel arte, vel vi, vel fauore, honores atque diuitias amplificare conatur. In summa, iustitię laude carent, qui virtutis via neglecta, diuitijs atque honoribus comparandis student: & qui, cùm virtutem colant, eius præmium atq; testimonium petere negligunt. Horum etenim postremi, se, suósq; iniuria afficiunt, virtutem inobscurant, & Rempub. offendunt. Idq; legibus diuinis & humanis repugnare statuo. Neque etenim assentior falsæ sententiæ eorum, qui sub nomine humilitatis, id de quo loquor, ambi-

tionem appellant. Ambitio namque eorum est, qui cùm sint inhabiles atque indigni, omissa virtute, gratia, aut potentia, aut artibus illicitis ad diuitias & honores aspirant, Sed qui virtute, habilitate atque laboribus ad altiora emergere & peruenire conatur: hic iustus, magnanimus ac generosus habetur, & si præmium virtutis non expetit, iniustus, timidus atq; abiectus est. Verùm eò, vnde oratio digressa est, reuertatur. Is qui domum malè dispositam, ac ministros malè moratos ac contentiosos habuerit, labores aliorum grauatim remunerabit, debita inextricabilia conflans, litésque ac seditiones excitans, iusti nomen non meretur. Aut vt rem in pauca conferam, crudelis atque ingratus iusti esse nequeunt.

Duodecima qualitas, quæ habilitatem Consiliarij commonstrat, est liberalitas: hac quippè populus præcipuè capitur, hanc amat ac veneratur. Auarus econtrà omnibus inuisus est: & vt auaritiam expleat, cuncta venalia habet. Quæstus aures ipsius populo, ac fores omni proditioni aperit, modò sine periculo eam patrare queat. Hic in concilio si sit, per fas ac nefas aliorum bona publicæ proscriptioni subijcit. Nam ea ipsi commodo ce-

do cedit: licet interdum summæ difficultates in regnis inde oriri soleant. Dilapidator ac prodigus consumit ac dissipat sua, deinde in infinita peccata prolabitur, ex quibus amissio famæ subsequitur: coniuncta grauioribus ac deterioribus incommodis, quam quæ auaritiam comitari, consueuére. Ideo Consiliario, inter duo extrema, media via incedendum est. Huius autem qualitatis cognitio ab experientia pendet, quæ huiuscemodi erit. Liberalis, elocationibus honestarum puellarum opitulatur, pauperibus succurrit, captiuos redimit, æs alienum agnatorum dissoluit, eósque pro virili in rebus omnibus subleuat: liberalia ingenia, quæ Reip. prodesse possint, fouet. Prodigus ex comessationibus sumptuosis, vestitu splendido, torneamentorum ac chorearum inanium celebratione, venationibus, sustentatione morionum, adulatorum, seruorúmq; nihili, & rerum eiuscemodi cognoscitur, cùm modus in ipsis exceditur, & ea alieno loco ac tempore fiunt. Auari verò animus, victu, vestitu ac domicilio sordido atq; abiecto retegitur: quin omnia ad se rapit, & plus sua, quàm Principis negotia curat, in omnibus actionibus proprium commodum

quæ-

quærens,in petendo aſſiduus, in mendicando importuniſſimus. Id quod vitium quàm maximum eſt. Nam negotia Principis tractanti,non de priuato, ſed Principis commodo, honore & vtilitate cogitandum eſt. Et Princeps,quò Conſiliarios in fide, officio ác diligentia retineat, de ipſis honorandis, amplificandis, ac collocupletandis viciſſim quoque curam ſuſcipiet. Hoc etenim modo ipſi nihil poſtulabunt, & tàm pro Principis, quàm proprijs commodis defatigabuntur, perſpicientes ſe ſine eo nihil efficere poſſe.

Decima tertia qualitas eſt, vt Conſiliarius ſit beneficus, hoc eſt, propenſus ad bene de alijs merendum.Hæc eſt illa virtus, quæ Beneficentia dicitur:nec in largitione pecuniarum aut aliarum rerum conſiſtit,vt Liberalitas: ſed in promouendis commodis Reipub.&partibus eius,in admonendo,laudando,reprehendendo, conſolando, procurando,defendendo: non ſolùm auxilium ac beneuolentiam expetentes:ſed & ea ob virtutem commerentes. Quinimò beneficus ſi videat vias publicas,fontes ac pontes, ſimiliáque indigere refectione, in id vnà cum Principe, atque miniſtris ſuis omni cura incumbit,quò maturè atq; vtiliter reparentur:

ac ſi

ac ſi quæ malè fabricata ſint, diruantur. Idē, iacentes atq; oppreſſos ſubleuat, ingredientes ad currendum incitat, currentes corroborat: ac ſi ſit in aula Principis, rectè facientes animat, atque vt in notitiam Principis perducti, honeſtè ſuſtententur, efficit: ad faſtigium honoris & gloriæ, virtutis via contendentibus, fidem, dexterámque porrigit. Quos verò artibus illicitis atq; inhoneſtis ad ea ſpirare videt, deijcit atq; propellit. In honeſtis Ludis ac iocis ſeſe opponit vt bonæ leges condantur, & inuiolabiliter ſeruentur, curat. Tandem, qui hac virtute præditus eſt, iuſtitiæ protector, defenſor populi, refugium nobilitatis, pater patriæ, Principis ornamentum, & quaſi Deus in terris habetur. Nam ad nocēdum, minimum quódq; etiam ſufficit: ad commodādum autem virtus Deo ſimilis requiritur. Proinde Conſiliario hanc virtutem amplectendam, eamq; per experientiam rerum, de quibus dixi, cognoſcendam eſſe, collectione quadam concludo.

Deima quarta qualitas, qua Conſiliarij habilitas cognoſcitur, eſt, vt manſuetus atque benignus ſit. Talis namque ſummos & infimos, diuites ac pauperes, eadem facilitate audit, illos hilari fronte excipit, attentè

&di-

& diligenter ad ipſorum deſideria animaduertit: in reſpondendo beneuolus, in officiorum pollicitatione grauis, ijs denegandis minimè ſuperciliosſus, in reprehendendo neutiquam iniurius: in hominibus dimittendis minimè aſper, vel ſe efferens. Hinc euenit, quòd, qui apud Principem gratiam obtinet, decuplo pluris eam faciat, quàm ſit: & qui deſiderio fruſtratus eſt, in beneuolentia, humanitate, dulcibus verbis atque aperto pectore acquieſcat. Hæc etenim eius ſunt efficaciæ: vt plus moueant animos, quã totius mundi aurum. Et electione ac experientia docemur, multos dolore quarundam rerum, magis ad vitæ atque bonorum neglectionem impulſos, quàm infinitis iniurijs. Conſiliarij fores ac aures, noctu diuque omnibus pateant: nec cuiquam occaſionem det animi abijciendi, omnes confirmet: id quod à benignitate & comitate alienus minimè faciet. Huius verò qualitatis cognitionem, Principis experientiæ committo: quæ ita inſtituetur. Benignus atque affabilis alacritate, vigilantia ac diligentia cognoſcitur, veſtitu honeſto atq; polito vtitur, conſuetudine gaudet, factiones auerſatur, nullius familiaritatem refugit, nemi-

nem iniuriosis dictis insectatur, argutis & gratiosis delectatur, honestam libertatem amat, à simulatione & ostentatione alienissimus. Homo iracundus aut cholericus, neutiquam potest esse benignus, aut affabilis: litem mouebit, si vel asinus canem momorderit (quod aiũt) nulli audientiam præbet, statua taciturnior est: præ impatientia lites excitat, negotia euertit, ac Principem à subditis alienat, easdem calamitates superbus quoque ciet. Qua de caussa censeo, eiusmodi naturæ homines, ad Concilia natura inhabiles atque ineptos esse.

Decima quinta & vltima qualitas, qua habilitas Consiliarij probatur, est fortitudo. Ea verò non intelligitur de fortitudine corporis, sed animi interioris, à qua Heroici viri cognominantur: id est, semidei. Quæ corporis est fortitudo, etiam in baiulos cadit, & alios homines, qui vitam teruncio, Carum instar, venalem habent. Fortitudo verò, de qua loquor, est eorum qui virtutis studiosi sunt, hanc respiciunt, & animo excelso tuentur: & pro eius defensione, quæ alij admirantur, nihili faciunt: videlicet odia, fauorem, diuitias, paupertatem, requiem aut laborem, vitam vel mortem: sed cõ-

tenti

tenti ſunt fortuna præſenti,ſiue ea proſpera, ſiue aduerſa ſit. Maxima aularum peſtis eſt, quòd aut veritas rarò dicitur: aut ita occultatur atque obtegitur, vt difficilima ſit cognitu. Proinde benè & argutè Carneades dixit, à regibus nullam artẽ rectè diſci, præter artẽ equitandi: propterea quòd ſolùs equus, quoniam non ſentit Principis ac plebeij diſcrimen, neſcit adulari regi: ſed excutit, quicunque is fuerit, qui nõ aptè norit inſidere tergo. Præclarè oſtendens, quàm non Principibus per adulatores veritatem intelligere liceat. Cõſiliarius itaque fortis, non ſolùm veritatem Principi dicet: ſed & vanitatem eorum refellet, qui ipſum vel fucatis mendacijs, vel falſis adulationibus corrumpere conantur. Ad omnes fortunæ caſus, ſiue bonorum, ſiue patriæ, ſiue vxoris, ſiue filiorum, ſiue honorum amiſſionem, fortis vno eodemq; tenore ſibi conſtat: animo non frangitur, vel turbatur, ſuæ rationi dominans. Ideoque re exigente, negotijs Principis conſulere, & Principi

Aſſentatio adulatorum, perpetuum malum regum: qui dum ea quæ volunt, libenter audiunt, ſe adulari ſinunt, & falli æquo animo patiuntur. Plutarch. in vita Annibalis.

cipi ac populo loqui, reſpondere, animumq́; eligere poteſt. Præterea nō eſt quod timeatur, talem corruptelis obnoxium eſſe : vel à iuſtitia ac fide, largitionibus, amicitia, conſanguinitate, precibus vel timore dimoueri. Cognoſcetur autem hæc qualitas à Principe, tali modo. Homo fortis amicus eſt veritatis, infenſiſſimus adulatorum hoſtis, ſeueritatis obſeruator, perpetuo tenore ſibi conſtans, delatoribus inimicus, in ſententia dicenda liber, à ſuperſtitione alienus, in dictis grauis, Principi iuxtà ac alijs ſentētiam minimè diſſimulans. Caueant Principes eligere Conſiliarios, qui ſimulatores, adulatores, inconſtantes, & veritatis occultatores amēt: auerſentur Conſiliarios, alieni ſordidè appetentes. Nam hi non ſolùm libertatē ſuam, ſed & aliorum vendent: fugiant hos, qui ob amiſſionem fortunarum, filiorum, & ſimilium, lamentis ac lachrymis ſe dedunt, vultus ac pectora contundentes, & ſeſe mœrore conficientes, namque tales fortes minimè ſunt: ſed effœminati, molles, & ad Reipub, gubernacula inepti.

Et ſic quindecim qualitates, quibus cognoſcitur, an, quo ad animum, quia muneri Conſiliarij appoſitus ſit, nec ne, ſint abſolu-

tæ.

tæ. Quarum prout plures vel pauciores in vnoquoque inuenientur, ita vel aptus vel ineptus iudicabitur: omni dubitatione remota, quin concursus dictarum qualitatum, præclarum bonitatis, prudentiæ, virtutis ac fortitudinis specimen sit. Bonus neminem decipit, prudens non decipitur: fortis omnes difficultates ac asperitates deuincit & subigit. His itidem virtutibus ac qualitatibus ornatus, à populo colitur. Neque etenim ei liberalitate, beneficentia ac comitate gratius quidquam est: eius in dictis factísque fidei cognitæ, nihil non concreditur. His namque fortunas atque honores committere solemus, qui rerum, quas tractant, perfectam solidámq; cognitionem habent, eásq; iustè atque fideliter administrant.

Ad hæc, talis, sententia atque iudicio omnium, honoribus amplissimis, præ alijs, dignus censetur. Magnum quippè atque illustre ingenium esse necesse est, quod tàm multiplices variásque artes didicerit: res, in quibus alij felicitatē collocant, nihili faciat, atq; excelso animo despiciat: ita, vt, quicunq; eo sit sensu, verè nobilis, illustris, excellens, potens deniq; iudicādus, atq; cum maximis Principibus meritò comparandus sit.

QVÆ

QVÆ CORPORIS QVALITAtes in Consiliario requirantur.

CAPVT III.

NAtura & æstimatio hominis, vt & alterius cuiuslibet rei, qualis & quanta sit, aut experientia, aut coniectura cognoscitur, Harum experientia, perfectione, bonitate ac veritate præstat: & ideo in omnibus rebus debet esse prima. Coniectura verò quasi nota ac signum est, quæ interdum fallere potest. Veruntamen non propterea penitùs reijcienda est: sed ei, quantumuis non vsquequaque certæ, secundæ sunt deferendæ: vt quæ experientiæ comes, ac quasi pedissequa sit. Ad hanc doctrinam ego, quò habilitatem Consiliarij demonstrarem, eam ad experientiam, quæ in dictis ac factis cuiusque consistit, direxi: cumque & dicta & facta, ex animo quasi fontè profluant, propterea ea habilitas animi à me est appellata, atq; (vt visum est Capite præcedenti) in quindecim qualitates distributa. Iam itaque subsequitur Coniectura: quæ est, vt Consiliarij idonea natura, externis quibusdam Corporis signis comprobetur: quæ altera pars est, quam

in

in principio præcedentis Capitis me tractaturum promiſi. Non autem arbitror neceſſarium, inſiſtere in oſtendenda efficacia atque virtute ſignorum corporis, eorúmque origine, & ſimilibus, quæ circà hæc moueri poſſent: ſed hoc loco indicaſſe ſufficit: quemadmodum ſignis quibuſdam agrorum fertilitas, vel ſterilitas, equorũ bonitas aut vitioſitas, deprehendi ſolet: ſic hominum corporibus notas, accidentia, vel ſigna ineſſe, quæ animi ipſorum affectionem teſtantur. Cúmque hæc ita ſe habeãt, ne longior in his ſim, ad expoſitionem qualitatum corporis Conſiliarij accedo.

Prima itaque habitudo eſt, ne Conſiliarius triginta annis minor, vel ſexaginta maior ſit. Nam qui triginta annis iuniores ſunt, experientia deſtituti, ac vitijs naturæ quàm maximis obnoxij, perturbationibus animi concitatioribus, calore iuuenili, præcipiti temeritate, inflato ſpiritu feruntur, debitam grauitatem ſeruare inſcij: proinde populus plerunque conſilijs ipſorum diffidit. Poſt annum ſexageſimum ingraueſcẽte ætate, memoriæ vigor flacceſcit, intellectus vacillat, experientia in obſtinationem conuertitur, calor actionum ſtimulus minuitur, quo ipſo

rerum

rerum occaſiones negliguntur, corpora debilitata atq; laboribus fracta itineribus faciundis inepta ſunt: itaq; aulæ inutile pondus putantur. Non me latet, cuilibet regulæ, quantumuis generali, ſuas exceptiones eſſe: & iuuenes nonnullos antè triginta annos, & ſenes poſt ſexaginta, inueniri eiuſmodi muneri ſuſtinendo aptos: ſed & eorum pauci ſunt, & ego de vulgatioribus & certioribus loquor. Quocirca mea ſententia eſt, vt Conſiliarij, intra trigeſimum & ſexageſimum ætatis annum conſtituti, eligantur: quòd hi, non interueniente impedimento, ad triginta annos deſeruire poſſint: & quòd, vt mediæ, inter iuuenilem & extremam, ætatis ſunt, ſic humores æquabiliores temperatioreſque habeant: animi affectionibus tranquillioribus ſunt, rerum vſu, memoria, iudicio ac viribus corporis, & robore valent, vitijs paucioribus affecti, grauitatem conuenientem ſeruantes, peregrinationibus obeundis appoſiti: à populo, conſilijs ipſorum acquieſcente, culti: vt ob id omnino, huius ætatis Conſiliarij Principi ſint eligendi, & qui eam nondum attigerint, Scholas adeant, terras exteras videant, mores gentium cognoſcant, linguas addiſcant, caſtra ſequantur, &

tur, & rebus, quas in præcedenti Capite commemoraui, percipiendis, vacent. Sexagesimum verò annum egreſſi, domum reuertantur, in otio ac tranquillitate viuant, conſcientiam labe vitiorum aſperſam exonerent, animæ ſalutem curent, & de beato hinc exceſſu cogitent. à Principe, quaſi iam ſtipendio confecto, honores, priuilegia ac reditus pro meritis recipientes.

Secunda corporis nota, index habilis Conſiliarij eſt, Temperatio ſeu Conſtitutio, quæ vulgò Complexio dicitur. Sunt etenim temporamentorum alia natura capacia, apta atque illuſtria: viciſſim alia ſtupida, inepta & tenebricoſa, & hæc quidem, quantumuis noctu diuque omnem animi contentionem ac diligentiam in corrigenda naturæ temperatione adhibeant, nihilominus tamen ea, inuita Minerua (quod aiunt) tentare videntur: illa & diligentia & arte exigua, quæ volunt, aſſequuntur: & ſi velint, maiora præſtare poſſunt. Quapropter, meo iudicio, Conſiliarius aut ſanguineæ vel cholericæ, non alterius ſit conſtitutionis, nam ijs temperationibus præditi, ingenij acrimonia, memoria, iudicióque valent, iuſti, affabiles, fideles, benefici, magnifici, magnanimi,

mi, fortes, corpore alacres, agilès, ſani & benè temperati ſunt. Tales, ex his quæ iam dicta ſunt, & alijs cognoſci poterunt. Nam cùm & res facilis ſit, & Princeps bonorum Medicorum copiam habet, cum ipſis in electione Conſiliarij de hiſce conferet, ac omni cautione adhibita animaduertet, ne Melancholicum aut Phlegmaticum recipiat Nam huiuſcemodi natura ſunt inepti ad Reipub. gubernacula, maximè verò ad Conſilia danda Melancholicus etenim, vt natura frigidus & ſiccus eſt: ſic terreſtris conſtitutionis naturam refert, animo abiectiſſimo humi ſerpit, nec ſeſe citra laborem à terra tollit, rudis, triſtis, vanus, præclarè cogitatis infeſtus, malitioſus ac ſuperſtitioſus: ita vt hac temperatione præditi, ſemper religionem ſuis ſtultis ſomnijs corruperint atque euerterint. Ad hæc, vltrà modum ſuſpicioſus & inuidus: ita vt ipſiſſima inuidia eſſe videatur, ſeſe mœrore, triſtitia ac cruciatu conficiens, abſque ratione ad arma vel verborum contumeliã proſilit: quantoque magis ætas aggraueſcit tantò minus ſcientia creſcit. Demùm Melancholici Saturno ſubiecti ſunt: à quo genere hominum Aſtrologi & Philoſophi ita abhorrent: vt me-

memoriæ proditum ſit ab Apollonio Tyaneo Epheſi Melancholicum inuentum, qui totam ciuitatem corruperit, & in ea peſtem maximam excitarit. Poſtremò Phlegmaticus, rudis, ignarus, intempeſtiuus & inſcius eſt, nec vlla virtus excellens in ipſo inuenitur, ſed omnes infrà mediocritatem ſubſiſtunt.

Tertia habitudo, corporis eſt ſtatura, quæ proceritate & craſſitie media ſit. Extrema etenim vtriuſque autoritatem Conſiliarij minuunt. Nam immodicam proceritatem, omnes Philoſophi & Aſtrologi, à recta figuræ humanæ norma abeſſe, probabilibus rationibus exiſtimant. Proceros rarò ſapientes conſpici, præcipuè ſi nimium macro corpore & collo oblongo ſint: ideoq́; eos ineptos ac nihili pronunciare non verentur, prouerbiũ conſtituẽtes, AMENS LONGVS. Breuis figuræ homines tot vitijs obnoxij non ſunt, quot in proceris inueniuntur: niſi quòd temeritate & iracundia magis, quàm iudicio feruntur, & populi irriſioni expoſiti, autoritate debita excidunt. Idq́ue natura cùm accidat, excuſatione omni caret. Proinde Princeps, quoad id fieri poteſt, ab electione eius figuræ hominum abſtineat: & eadem de

caussa, vel macie, vel crassicie exuberantes Consiliarios non adoptet. Neq; etenim quisquam risum cohibet, videns hominem Cupa crassiorem, vel Congro macilentiorem. Prætereo interim incommoditates, quæ ex immodica pinguedine, vel macie prouenientes, ad negotiorum tractationem homines ineptos reddunt. Consiliarius ergo, mediocris staturæ ac portionis sit.

Quarta est, membrorum omnium iusta proportio & conuenientia, vel defectu, vel exuperatione in re quaque minimè vitiata. Nam quodlibet horum, animi deprauati, vitijsque affecti significationem habet, & offensionem in oculis aspicientium commouet. Iusta verò proportio corporis, est legitima conuenientia membrorum: ita vt caput, vel aliud membrum magnitudine ac paruitate suo corpori iustè respondeat. Discrepās ac aliena è contrariò est habere brachium longius alio, manum vnam maiorem altera, alterum humerum depressiorem aut altiorem altero, & ita de alijs membris. Integritas autem partium corporis consistit in hoc, ne qua vitio laboret: ita vt homo sit luscus, gibbosus, claudus, mutilus, aut à natura deficiente vel exuperante alio modo notatus.

Nam, vt Physici, & præcipuè Galenus atque Hippocrates censent, qui ita natura nascuntur (nō loquor de his, quibus id casu accidit) vitijs animi, morum & vitæ laborant. Ac ferunt, Aristotelem prouerbij loco in ore habuisse: Cauendos, quos natura notârit. Hasce ob causas, & quia tales vulgò inuisi esse consueuere, existimo, notis inclementioris naturæ suffusos, gubernationi Reipublicæ minimè præficiendos.

Quinta & vltima nota in Consiliario, habilitatis corporeæ index, est vultus comitas. Nam qui hac virtute præditi sunt, ea sola sibi autoritatem & beneuolentiam conciliāt. Quare Consiliarius habeat caput mediocre atque rotundum, non acuminatum, aut nimiùm paruum: vultum lōgiorem quàm rotundiorem, non paruum vel nimiùm carnosum: frontem magnam aut mediocrem, non paruam, vel tristem: oculos mediocres, claros, alacres atq; sedatos, non nimiū magnos, paruos, turbidos, aut instabiles: nasum aquilinum, non crassum, aut contortum: labia grandiuscula, non tamen pendula. In summa, vultus sit gratiosus & placidus, bonosq; mores præ se ferens.

Et hæ notæ ac coniecturæ, quæ habilita-

tem

tem Consiliarij, quoad corpus demonstrant, finitæ sint à me: neutiquam dubitante, futuros, qui meam diligentiam in tractatione rerum minutissimarum, vt superuacuam, sint reprehensuri. Quibus responsum volo: præterquam quòd hæc exilia, tanti momenti sint, vt maiora sine eis subsistere non possint: & quid benè perfectéque tractaturo, omnia ita percurrenda, ne quid omittatur. Reuocet vnusquisq; ad animum, secumque reputet, in emptione domus, non solum fundamenta & muros inspici: sed & stabula, & loca alia, quæ verecundè nominari nequeũt. Quantò itaq; magis omnes partes, accessuris ad Reipub. gubernacula, inspiciundæ erunt? Equum decem, quinquaginta, centum, aut ducentis coronatis comparaturi, an non eius pilos, caudam, crura, ossa, latera, carnẽ, formam, incessum, cursum, statum, pabulum, aquationem inspicimus? & annon Princeps ipse caput eius demulcet, osque vt dentes videat, aperit? Quare itaq; superuacanea dicentur ea, quæ perfectionem eius demonstrant, qui in manibus suis, fortunas, honorem, vitam & mortem Principis feret?

DE ELECTIONE *Consiliarij.*

CAPVT. IIII.

DVas res in Consiliario spectandas esse, in principio secundi Capituli dixi. Altera est, ipsius habilitas, quæ præcedentibus Capitulis exposita est Superest, vt & de altera dicatur, nimirum electione quæ penes Principem est: neque ea aliud est, quam vt ipsi Consiliarium electuro ostendatur, quomodo sese gerere debeat. Dico itaq; Principi ante omnia ob oculos habendum, ex Consiliariorum electione, honorem, vtilitatem, infamiam atque ruinam suam & populi pendére. Ne verò prolixior sim, ex multis aliquas rationes huic proposito accommodatas, adducam.

Primo itaque iudicium, quod de Principis virtute fit, ex habilitate & integritate Consiliariorum eius sumitur. Nam si sint prudentes atque idonei, Princeps prudens creditur: vt qui perspiciat, quales idonei ac apti, & ijdem quomodo in officio ac fide retinendi sint. Sed si tales non inueniantur, nec aliqua Principis prudentiæ existimatio esse potest: quandoquidem in re principali errat.

Qui

Qui autem in ea delinquit, vt quoque in alijs erret, necesse est. Nam, quemadmodum si scaturigo fontis corrupta sit, aqua omnis, quæ inde fluit, necessariò quoq; deprauata est: sic sacro Consilio malè constituto, vniuersam gubernationem errore duci oportet. Proinde populum in Principis celebratione vna voce memorare videmus, quòd sapientes Consiliarios habeat: & si quis intrà has singulari virtute emineat, publicè intentis digitis dicentem conspici, Hic est ille, talis tantusque Consiliarius, nec in vlla re magis, quàm hac, populus acquiescit. Econtrariò autem, cunctos murmurantes, frementes atq; indignantes conspicies, si diuersum fieri videant. Nam si bellum suscipiatur, omnes regnum bonis Consiliarijs destitui conqueruntur, hostem viris paci belloq; accommodatissimis instructum: populus turbatus atq; perculsus, sibi circumuento calamitates impendentes, deplorat. Dubium porrò non est, quin boni Consiliarij omnis salutis autores sint. Id quod probè intellexisse mihi videtur Propheta Dauid, cum in bello, quod ei cum Absolone fuit, semper Deum precatus est: vt intellectum Consiliario ipsius intimo adimeret. Magis namque consilium

Achitophelis, quàm arma & artes reliquorum omnium reformidabat. Sit Princeps bonis Consiliarijs instructus: & vtcunque errore captus de via decedat, nemo erit qui id credet: vicissim, nisi tales habeat, etiam ei, quod oculis rectè factũ videtur, fides autoritásq; detrahetur: vel fortuna, vel hostium negligentia factum esse putabitur. Ex quo consequitur nil aliud, quàm ad Principem ex bonis Consiliarijs, non solùm felices actionum successus, sed & honorem & existimationem, tàm apud suos, quàm extraneos peruenire. Sui namq; cum amore ei parent, peregrini eius virtutem exhorrescunt, vtriq; vno ore eum tollunt. Hæc itaque prima sit commonitio, quàm Princeps in Consiliarij electione diu multumq́; animo voluat: atq; de ea hactenus dictum sit.

Secundò, Princeps sibi persuadeat, talibus de quibus iam dixi, Consiliarijs, æquè sibi, ac pane, quo vescitur, opus esse: idque vt veritatis audiundæ ei copia sit. PRINCIPVM namq; aures, multitudine adulatorum, quibus circumsepti sunt, ad simplicis nudæque veritatis sermonem plerunque obstruuntur. Veruntamen Princeps, audiendo veritatem facilè autoritatem amit-

tit, ſi cuilibet eius dicundæ poteſtas ſit. Quare Conſiliarios eius qualitatis, de qua antè dixi, habeat: nimirum qui intelligant quid veritas ſit, eamque ſuo tempore Principi dicant: ac ijs meritò plurimùm deferat, quo eo officio qualibet in re fungantur. Hic namq; modus ad veritatem, & adulationes cognoſcendas talis eſt, vt eò melior inueniri vix queat.

Tertia commonefactio eſt, vt Princeps, qui multis prouincijs ac terris dominatur, Conſiliarios non ex vna vel altera ipſarum, ſed ex omnibus deligat atque adoptet. Eius melioris intelligentiæ gratia, rex Hiſpaniæ exempli loco proponatur. Hic inter alias terras quamplurimas, regnum Arragoniæ, Caſtiliæ, Siciliæ, Neapolis, ducatum Mediolanenſem & Belgicum poſſidet. Mea itaque ſententia eſt, vt Conſiliarij huius Regis non ſolùm ex Arragonijs vel Caſtilianis, ſed & Siculis, Neapolitanis, Mediolanenſibus & Belgis conſtent. Cæterùm cùm hæc præceptio exemplo intelligatur, rege Hiſpaniæ omiſſo, in genere de hac materia videamus. Omnino Principi videndum eſt, ſi rectè gubernare, atque ſubiectos in fide retinere velit, vt hoc præceptum ſe-

quatur. Nam ſi alia ratione aget, omnia confundet. Populi namque, ab adminiſtratione Reipub. ſe excluſos atque reiectos eſſe, nec quenquam ſuorum conſilijs publicis adhiberi perſpicientes, incredibile eſt, quam rei indignitate commoti ſtomachentur: exiſtimantes (idque non immeritò) ſe nullo in numero, Megarenſium inſtar, poni, aut veluti mancipia tractari, aut ſibi nihil fidei haberi. Quorum primum, odium generat: ſecundum, libertatis ſtudium, cõiurationes, & Principum peregrinorum euocationes excitat: tertium contrà Principem germanum animos erigit, ac obſtinatiores reddit. Deinde manifeſtiſſimum eſt, quemlibet mores, naturas, virtutes, vitia, familias, benemerita, & malefacta hominum, commoditates ac difficultates terræ perfectiùs noſſe, in qua naſcitur & educatur, quam extraneos. Quare Princeps ſtipatus Conſiliarijs indigenis, meliùs atque commodiùs difficultatibus mederi atque conſulere poteſt. Pręterea natura comparatum eſt, vt maiori beneuolẽtia noſtros, quàm extraneos proſequamur. Præterquam enim quòd naſci & educari iiſdem legibus maximum inter bonos amicitiæ vinculum eſt: ſemper in noſtris vel ſanguinis,

guinis,

sanguinis, vel cõfœderationis, vel amicitiæ, vel officiorum ratione, obligatio quædam inuenitur, quæ in extraneos non cadit Vnde videmus, & in Consilijs, & extra ea, citiùs, promptiùs atque diligentiùs tractari negotia domesticorum & indigenarum, quàm exterorum: & si hi quidquam obtinere velint, id ipsis maximo sudore, contentione vel largitionibus efficiendum esse. O quàm misera terra est, quæ nullum suorum in Consilio Principis videt? Quid quòd Princeps, qui Consiliarijs vnius prouinciæ delectatur, amoris vel factionis studio rapi, vel affectione peculiari duci videtur? Nam quando omnis fauor, vel eius maxima pars, in vnicam gentem confertur, illa necessariò elata superbescit: & aliæ indignatione accensæ ei inuident, maledicunt atque obtrectant: & tandem desperatione quadam rixas excitantes, ad arma veniunt. Quidquid tandem à Principe statuatur, quælibet prouincia ac gens suas virtutes ac vitia, bonos ac malos, doctos & indoctos, argutos & hebetes, aptos atque ineptos, fideles & infideles habet. Nec quisquam mihi obstrepat, sed dicta, prout à me dicta sunt, accipiat. Princeps prudens publica persona est; non itaque præter ratio-

nem, partibus sese coniungat & aggreget. Ciuis natiuus est omnium prouinciarum atque terrarum, non itaque se sponte alienigenam efficiat. Pater est vniuersorum: non itaque caussa est, vt cuiquam se, nisi ratione postulante, vitricum exhibeat. Ad extremum hæc orationis meæ conclusio est: cùm Consilium ad prouincias regendas sit destinatum, id ex omnibus constituendum esse.

Quartò, Princeps animaduertat, ne in adoptione Consiliariorum contentus sit his, quos in aula fouet, vel quos visu atque auditu cognitos habet, quacunque etiam excellentia vel prudentia præditi sint: sed diligenter inquirat, de quo poterit, & præcipuè vicarijs omnium suarum prouinciarum iniungat diligentem inquisitionem, de optimis ac præstantissimis quibusque: & nominum, quæ ipsis sint, transmissionem, quibus acceptis atque perlectis accersantur, qui omnium maximè idonei existimabuntur: præsertim autem, qui in aula incogniti erunt. Viaticum ipsis, sub alia specie, quàm quòd ad Regem eant, euocatis, pro ratione loci & personarum honestum conferatur. Fieri nequit, vt in huius commonefactionis explicatione, decimam vtilitatis partem,

tem, quam eius obſeruatio adfert, exponã. Id ſcire ſufficit, ex compluribus bonis faciliorem excellentis electionem eſſe, quàm ex paucioribus. Ex paucis enim nil niſi exiguum ſeligitur. Porrò vulgus, videns Principem, vt verum patrem, de omnium honore ita cogitare, eum læto cordis amore proſequetur: nobiles & ignobiles noctu diuque artibus neceſſarijs atque vtilibus addiſcendis animum intendent: & vt honeſtam exiſtimationem apud vulgus ſibi comparent, & ad dignitatum gradus euehi poſſint, vitijs relictis virtutem proſequentur, omneſq; offenſionum cauſſas fugient. Princeps quoque ſimiliter hac ratione cognoſcet, quàm præſtantes viros, & quot, quibuſque dotibus præditos habeat: & in omnibus periculis, negotijs, & tractatione rerum ſciet, qui quibus in rebus ipſi vſui eſſe queant. Ex his qui euocabuntur, certum eſt, quod plures vel pauciores duobus eligentur, prout neceſſitas Conſilij exigit. Erga reliquos itaque Princeps affabilis & comis ſit, vitam ipſorum anteactam laudet: hos bona ſpe impleat, atque in virtute amplectenda confirmet: his officia ac reditus conferat, alios in aula retineat, vel domum

dimittat: ita benignè atque prudenter ergà vnumquenque pro merito & debito ipsius se gerens: vt omnes bono ac læto animo discedant, & consilio Principis benè prospiciatur.

Quintò, Princeps in electione Consiliarij minimè sit subitus ac præceps: sed in ea cunctationem adhibeat, quò occasio atque commoditas ei sit perquirendi de habilitate & moribus adoptandorum: quin etiam tempus præfigat, intra quod cuique & generatim & speciatim euocati, vel scriptis, vel verbis accusandi, eiusque vitia indicandi facultas sit, hac ratione seruata, vt eorum, qui id verè facere volent, securitati & autoritati consulat. Calumniatorum autem malitiam atque improbitatem, pœna talionis omni rigore obseruanda, & metu indignationis regiæ coherceat. Ad hæc, sub graui comminatione prospiciat, ne candidati inquisitionibus contra se factis vllum impedimentum adferre possint. Sic namque & ipsi, eorumq; qualitates cognoscentur: via falsis inquisitionibus præcludetur, boni operas suas promptiùs offerent, mali atq; inepti à petitione dignitatum, metu infamiæ deterrebuntur. Hoc more antiquitus Romæ in electione Magi-

Magiſtratuum obſeruato, Reſpub. floruit: eo verò exoleſcente, Reipublicæ tanta inclinatio facta eſt, vt poſtea ruina miſerabili conciderit.

Sexta præceptio eſt, vt Princeps attētè & beneuolè accuſationes & inquiſitiones contrà candidatum prolatas audiat: ijſqúe non niſi trutina diligentiore ponderatis, fidem adhibeat. Nam ſi ſint delationes, infamiam inferentes, cogitet, & veras & falſas eſſe poſſe: ſimulque eſſe homines malignos, inuidos, ignorantes, ac alijs affectionibus obnoxios, qui candidatum in falſum crimen vocent: nec fallatur autoritate deferentium, hanc vocem vſurpans: Id mihi illuſtris Dux, reuerendus Epiſcopus, doctus Antiſtes, ſanctus Monachus, vel talis, vel talis retulit. Nā ſæpè qua non credis, latet anguis in herba. Quo ſignificatum volo, omnes nos eſſe homines, & decipi atq; errare poſſe, quare haud ſtatim omnibus fidem adhibendam: ſed id, re exigente, iuſtæ inquiſitioni atq; iudicio committendum. Si viciſſim inquiſitio candidato fauerit, teſtificans eum tali muneri aptum: ei nec penitùs fidem tribuat, nec omninò deroget: ſed id excuſſioni, de qua dicetur, relinquat atque committat, Nec Principem

cipem dicere volo, Talis Pontifex, Marchio, Eques vel Sacerdos, hoc mihi ſignificauit: quia omnes homines ſumus, qui & alios decipere, & ab ipſis decipi ſolemus. Pro certo autem ſtatuat Princeps, eiuſmodi relationes, ſiue bonæ, ſiue malæ ſint, à ſtudio proprij commodi proficiſci: quod licet clarè cõſpiciatur, tamen ei prætextus officij haud dubiè obducitur atque prætenditur, atque reuera pillularum auro illitarũ inſtar ſunt, quæ amaritudinem, quam in ſe continent, minimè commonſtrant: ſed in interiore ſui parte occultãt. Nunquam prudentiæ datum eſt, id credere, quod experientia comprobari non poteſt Quare Princeps in hoc diuum Thomam imitetur: nec plus credat, quàm oculis viderit, & manibus contrectauerit.

Septimò, non eligatur Conſiliarius, antequam eius virtus atq; habilitas ſit explorata. Atque hic non poſſum non meminiſſe, quòd ante aliquot menſes, cum de electione vnguentarij Regis Hiſpaniarum ageretur, rem eò deductam viderim: vt is ex pluribus competitoribus reciperetur, qui meliora pharmaca, & plurima eorum genera conficere poſſet. Similiter cùm anno quinquageſimo primo, pace in Gallijs rupta, mihi

collo-

colloquium cum Ludouico Burbonio pontifice, de diplomate ſecuritatis eſſet, ac de canibus venatorijs tractaretur: ipſum dicere memini, ſe prius de ipſorum bonitate periculum facturum: & illa deprehenſa, ſe de ipſorum emptione cogitaturũ. Id pingui Minerua (quod aiunt) ad propoſitum, in quo verſamur, traductum ſit: quod cùm vnguentarij non eliganter, niſi ipſorum peritia probata: nec minus venatorij canes: quantò magis conueniet, iuſta trutina expendi qualitates eorum, qui Conſiliarij ſint eligendi? Examinatio verò ſit, vt princeps animaduertat, & quidem animaduertat diligenter, an præditi ſint qualitatibus & notis, quas in ſecundo & tertio capite expoſui, eaſq; modo commemorato à me, exquirat. Nam qui eorum expers fuerit, abſolutè inhabilis eſt: qui verò ijs præditus inuenietur, omni dubitatione remota aptiſſimus erit: & ſecundum quod vel plures, vel pauciores earum in quempiam cadent, de eius vel dignitate vel indignitate pronunciabitur. Ita vt habilis atque idoneus Conſiliarius duabus menſuris ſit metiendus: quarum prima conſtat quindecim pedibus, quæ ſunt quindecim qualitates, demonſtrantes Conſiliarij animum.

Alte-

Altera verò quinque pedibus , quæ ſunt quinque notæ,atteſtantes de habilitate Cõſiliarij ex forma atque figura. Qui itaq; plurium pedum menſura præſtiterit , hic reliquis poſtpoſitis,eligetur:ſic, vt decem qualitatibus præditus,alteri nouem vel octo ſaltem ornato præferatur. Idque obſeruandum iudico abſque vlla exceptione, cum omnis generis hominibus ſiue diuites , ſiue pauperes,ſiue nobiles,ſiue ignobiles ſint: ſiue gratia polleant,ſiue non. Proinde, ſi quis potentior,opulentior aut gratioſior,concurrat cum alio potentia , opibus ac fauore inferiore , ſed qualitatibus ad Conſiliarium ſpectantibus eminentiore,hic ipſe Conſiliarius adoptabitur:alij verò minimè. Hoc verò quod dico,accipiatur , ſi qualitates qualitatibus præponderent. Magiſtratus namq; & honores ſunt tribuendi ratione virtutis non fauoris,opum,vel potentiæ. Cæterùm tunc aliquam horum rationem haberi conuenit, cùm virtus vtrinque par eſt : vt ſi competitorum neuter ab alio vincatur, tunc pro ſuo arbitrio Princeps officium ei conferre poterit,qui potentia, gratia, vel meritis ſuperior ſit: etſi nihilominus tali caſu , Princeps eum ornare teneatur , qui plus officiorum

Reipub. præstiterit. Certissimum namq; est, honores atque officia, vno ex tribus modis dari: aut propter merita, aut gratiam, aut potentiam: prior virtuti: vltimus abusui assignandus est: medius, licet abusu non careat: tamen is tantus non est, quantus posterior. Vtut verò sit, vna ex certissimis regulis, Principem à tyranno discernendi, hæc est: quòd Princeps officia atque honores ratione virtutis: Tyrannus respectu gratiæ atq; potentiæ ea distribuit. Et notatu dignissimum arbitror, quòd Princeps, qui in officijs & magistratibus conferendis fauorem & potentiã respicit, is aut Principatu deturbabitur, aut eum ad tertiam vsq; generationem non possidebit. Prudens omitto multas alias rationes, quæ ad hoc propositum adduci possent: atque concludo, examinatione instituta, hũc ex omnibus eligendum, qui Regulis à me in secundo & tertio capite traditis, magis respondeat: eamq; examinationem à Principe ipso, non alio fieri par est.

Octauò examinatione & electione, perinde vt in præcedentibus continetur, facta: post duos aut tres dies Princeps designato Consiliario aulicis præsentibus, atq; apertis ianuis, breuiter dicat, eum virtutis ergò, in nume-

numerum Consiliariorum receptum : opinionem, quam & ipse & populus de eo habeant, commemorans : hac adiectione, vt cùm tanta de eius virtute, bonitate & prudentia, fiducia concepta sit: necessariò digna illis, ipsi expectanda, idque nisi fecerit, ignominiæ atque dedecoris loco sese id habiturum. Postea honorem & vtilitatem regni hoc mandato ipsi committet : ne quotiescunque Principem videat, admonitione vel correctione indigere, ea debitæ modestiæ obseruatione, omittat. Tandem fine dicendi facto, ei neglecti atque deserti officij pœnas minabitur, & benefactorum certissimam remunerationem vicissim pollicebitur. Huius præceptionis obseruatione fit, vt Princeps populi beneuolentiam acquirat: boni, prudentes atq; industrij, incitentur, nõ solum vt tales permaneant, sed & excellentiores euadant; & Consiliarius electus non minùs augendæ, quàm conseruandæ autoritati studeat.

Nona & vltima commonitio est, vt finito superiori sermone, Princeps Consiliarium iurisiurandi religione obstringat : nimirum ipsum fidelem fore, honori & vtilitati Principis prospecturum: nec propter vllum vitæ,

bonorum,conſanguinitatis, vel amicitiæ reſpectum à tramite iuſtitiæ diſceſſurum. Quo iuramento præſtito, nihil reliquum eſt, niſi vt negotijs adhibeatur. Dici nõ poteſt,quanta vtilitas ſit huius iuramenti: in præſentia autem indicaſſe ſufficit, hoc Principem ſecuriorem reddi:& ſi Conſiliarius infidelis ac perfidus fiat, Principi iuſtiorem indignationis aduerſus ipſum , tanquam fidei religioniſque contemtorem,cauſſam eſſe. Conſiliarius quoq; eadem de cauſſa circumſpectior erit,& omnem infidelitatis ſuſpicionem vitabit: ac conſanguineis atque amicis iniuſta vel inhoneſta rogantibus,iuſtiſſimam denegandi cauſſam habebit. Populus quoque à iuſtitia remota ipſum poſtulare extimeſcet: & ſi æqua denegare,vel contrà iuſtitiam admittere quid velit , contradicere ei non verebitur.

Hæc ſunt,quæ mihi in mentem venerunt dicere,primo libro eorum,quos octo de Cõcilio & Conſiliarijs ſcripſi ; in quo oſtenſum eſt, quid ſit Concilium , & quòd cuilibet Principi bene recteque moderaturo ſeptem Concilia,officijs,miniſtris, & autoritate diuerſa,ſint conſtituenda. Similiter quoq; monſtratum eſt , quid ſit Conſiliarius : &

quòd

quòd ad ipsius habilitatem viginti qualitates requirantur, quindecim animi, & quinq; corporis. Præterea nouem regulæ Principi sunt traditæ, quas in Consiliarijs eligendis sequatur. Ad horum verò tractationem, legis diuinæ atque humanæ autoritate adductus sum, qua obligamur ad mutuam officiorum communicationem, & maximè eorum, quibus Respub. iuuari potest: vt est hæc ipsa materia de Concilio & Cōsiliarijs Principum. Quod si reipsa tale Concilium constituere potuissem, quale scripto adumbraui, maluissem oculis hominum, quàm intelligentiæ, exemplum benè constituti Concilij subijcere. Verùm, quia id fieri non potest, velimus quod possumus. Re interea id præstent, qui id possunt, & pro tranquillitate, honore ac vtilitate sua debent. Ad me quod attinet, dùm vixero, Deum orare non desistam, quò duorum me compotem faciat. Primum, vt oculos Principibus aperiat, quò videant necessitatem constitutionis Concilij & Consiliariorum: aut vt ad minus scrupulum animis ipsorum inijciat, quò interdū ad Concilia & Consiliarios respiciant. Tunc namq; gradus & aditus ad cætera non contemnendus iactus est: si Princeps, an bonis

Con-

Conſiliarijs inſtructus ſit, necne, dubitare incipiat. Nec maior infirmitas eſſe conſueuit, quàm quæ ſenſu non percipitur. Alterum eſt, vt qui Principibus adſunt, propoſitis ſuis vtilitatibus & affectionibus, aures bonis ac ſalutaribus præceptionibus aperiant, vtilitatem publicam priuatæ anteferant, nec falſis perſuaſionibus ex nigris alba, ex albis nigra reddant. Quod genus hominum omnes ferè Principes deſtruit atq; euertit: hominibus ingenioſis crura, ne vlteriùs progrediantur, detruncat: alias, ne altiùs euolent, incidit: oculiſque Principum, ne videant, denſam caliginem, tetraſque tenebras offundit. Verùm hęc de malis dicta ſint, non bonis: quibus hãc operam meam probatum iri certò confido: non ob id, quòd mea, ſed quòd bona & vtilis ſit. Illi verò, quibus dictis eam excipient & proſequentur? Hic garriet, non eſſe bonum, Principem tantum laboris in eligendis Conſiliarijs capere. Cui reſponſum volo, non eſſe laborem, ſed requiem. Paucioribus enim negotijs, tàm belli, quàm pacis tempore obruetur. Ille vociferabitur, Principem liberum: eiq; facultatem conferendi officia, quibus velit, eſſe. At hic ſibi reſponſum habeat, non eſſe libertatem, quæ à recta rationis via

rece-

recedat, sed abusum. Tunc liber est, cùm rectam rationem sequitur, aliâs tyrannus censetur: & dicens: Principi licere officia conferre, quibus ipsi libeat, tyrannidis macula obliquè ipsum aspergit. Alius quoq; insurget, dicens: Nobiles ac equites remunerandos esse, ratione familiæ & officiorum: Is sibi responsum sciat, & me eiusdem sententiæ esse: verùm aliud esse gratiam reponere, & aliud Consiliarium facere. Alia namq; via ac ratio beneficij compẽsandi inueniri potest quã vt Concilijs præficiantur. Quin & prodibunt dicturi, eiusmodi Consiliarios, quales ego descripsi, toto terrarum orbe non inueniri. His hoc responsum do: fore, vt, si Principes virtutis ac meritorum rationem, non gratiæ, vel potentiæ, in eligẽdis Consiliarijs sequãtur, multi, ijq; præstantes atq; idonei, varijs in locis deprehendantur: & dato, quod non sint: Princeps, si tales velit (vt velle debet) facilimè etiam ex saxis tales faciet. Nam cũ Princeps poësi delectatur, omnes poëmata condunt cùm Musicæ est deditus, Musicam colunt: si bellator sit, nemo non arma tractat: si dicaces amet, omnes argutijs student: si Astrologia delectetur, de Sphæra & instrumentis cœlestibus quoslibet dissertãtes audies.

dies. Quòd si Consiliarios, quales descripsi, beneuolentia complectatur: de capite meo sponsionem facere ausim, omnes Barones ac Equites intra quatuor annorum spaciũ præstantissimos Cõsiliarios fore. Sequatur Princeps proposita à me præcepta, & repentè Aulam cum tota Nobilitate immutari: tempus alioqui turpi atque ignauo otio, lusibus inhonestis, alea, scortationibus, ac alijs vitijs consumptum, virtutibus ac artibus vtilibus impendi videbit: atq; ex Aula, Scholam virtutis & sapientiæ fieri. Alijs futilibus ac vanis obiectionibus respondere omitto, & ad Principes speciatim reuertor: quibus polliceor, si Consiliarios eiusmodi, quales descripsi, elegerint: fore, vt in pace ac tranquillitate viuant: nec solùm regna à maioribus accepta conseruent, sed & amplificent: à subditis suis amentur: inimicis metuantur: amicis colantur & obseruentur: deniq; ab omnibus celebrẽtur: durabili atq; perpetuo Principatu ad liberos, titulo Magnorum, Optimorum, Inuictorumq; Ducum ad posteritatem transmisso.

HIPPO-

HIPPOLYTI A COLLIBVS CONSILIARIVS.

PHILIPPO LVDOVVICO HANOVIÆ COMITI Illustrissimo.



AGNVM sanè principibus viris onus impositum: imperium moderari sapienter, iuris æquabilitatem colere, flagitiorum coërcere licentiam, excitare virtutis studia, ordinem in omni officio conseruare, & rem denique publicam excellentibus meritis obstringere.

Consulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.

quoqúe maius imperium diffusiusq;, eò maior cura, vt non immeritò Diocletianus Imp. nihil difficilius dixerit, quàm benè imperare. Nam si administrationem rerum suarum fami-

familiaribus totam permittant, omnia Regni præsidia dilabantur necesse est: si per se omnia curare velint, inanem curam & sine vllo fructu percipient, horamq; nullam molestißimis negotijs, metu & sollicitudine liberam habebunt. Magna seruitus, magna fortuna.

——— metui cupiunt
Metuiq; timent: non nox illis
Alma recessus præbet tutos:
Non curarum somnus domitor
Pectora soluit ———

Prudenter Saturninus illis, qui imperatoria eum purpura induebant: Nescitis, amici, quid mali sit imperare: gladij & tela nostris ceruicibus impendent: imminent vndiq; hastæ vndiq; spicula: ipsi custodes timentur & formidantur. Verum mali huius remedium optimum, idq; vnicum, in legum maiestate est. sapientumq; consilio, ex quorum sententia, quid optimum factu sit, statuant. nam summis, vt ille ait, Imperij moderatoribus, pia & decora suadentes, instrumenta sunt boni seculi. At difficulter reperiuntur: &

& pauci qui reperiri possent, Principum aulas vitant. Sapiens enim, ingenium suum, & prudentiam non venditat: nec suas vnquam rationes eò confert, vt Principis alicuius gratiã acquirat, ad cuius nutum & arbitriũ se totum componat: speciosam illam seruitutẽ fugit: quin potius summas diuitias in æquitate animi, & in resecanda potissimũ cupiditate constituit, semper cupere (aiunt) nihil aliud est, quam semper miserũ esse. vera vita est, odisse honores, qui sic expetuntur, vt parentur libertatis iactura, pacis, otij. Salem Athenis lingere se malle, quàm cum Principib. opiparis vesci dapibus quidam acerbè nimiũ respondit: sed facetè Lacydes Cyrenæus, qui à rege Attalo, amicitiam, societatẽq; in rebus agẽdis promittẽte, accersitus, venire renuit: philosophos quippè vt picturas & imagines eminus videndos esse, non cominus. Intelligebant sapientes hi viri, Principũ familiares varijs non rarò fortunæ casibus expositos, neque felices eos existere omnes, qui regia purpura, regioq; auro rutilant. Ex se autem satis didicerant, in rebus humanis nil magis expe-

tendum,

tendum, quàm quietæ & procul à publicis muneribus tranquillæ vitæ constantiam.

Felix, mediæ quisquis turbæ
Parte quietus, aura stringit
Littora tutâ: timidusq́; mari
Credere cymbam, remo terras
Propiore legit.

Quapropter veri Principis industria in sapientibus omni studio in bonum publicum vindicandis retinendisq́; meritò semper versata est. Ad retinēdos duo requiri video. quemadmodum (ait ille) fruges non tàm ingenio soli, quàm cœli beneficio, melioreq́; temperie lætius exuberant: ita & eximia ingenia, benignitate, humanitateq́; Principum virorum excitantur & aluntur: alterum igitur est, vt eorum opera, tùm clementur & benignè, tū etiā iustè, hoc est congruenter vtantur. Quēadmodum enim ministrorū partes sunt obsequiū, aßiduitas, taciturnitas, labor indefessus: sic Magnatū contrà officiū est, Consiliariorū, (quos boni principes parte sui corporis esse statuerūt) sedulitate non abuti: nihil vnquā in eos asperū aut contumeliosum dicere,

nec acerbè officium exigere: sicq; cogitare, se non seruis & mancipijs, sed liberis hominibus imperitare: quorum opera si non gratuita & voluntaria, at certè libera vtuntur. Alterum est, ne laborum suorum præmio ac mercede fraudentur. quid quæso æquius, quã vt quorum vita in nostris consumitur commodis, eos remuneremur? exemplo vel ab agris sumpto, qui à quibus diligentius coluntur & laboriosius, ijs vberiores fructus ferũt. Rerum istarum neglectum magna sæpè Principibus incommoda tulisse, præter antiquas historiæ etiam recentiores clarißimè docent. Atque hæc quidem Principem ipsum respiciunt.

Cæterùm quænam ipsius consiliarij partes sint, hoc sermone, qua potui diligentia, succisiuis horis persequi conatus sum: an aliquid assecutus, boni lectoris iudicij facio. Id sanè qualecunq; est, in splendidißimo tuo potißimùm nomine, Comes illustrißime, apparere volui, cuius in magna fortunæ indulgẽtia animi moderatio, morum facilitas, & regiæ deniq; virtutis indoles, (vt de formæ digni-

dignitate nihil dicam) ita vndiq; enitent, vt de te ornando certasse videantur. atq; id eò lubentius feci, quòd opportunè hoc ipso tempore, desponsatam tibi audiam, Dei immortalis munere, Nympham principem, in qua, præter illustrissimum genus, forma & venustas conspicitur, sed pudor magis, probitas, sanctitas, & casti mores, quos domestica disciplina auxit, & probum ingenium confirmauit:

Hoc, par non aliud conuenit pulchrius vnquam
Nobiliusve.

Dùm igitur alij per varia certatim tibi gratulãtium genera in carmina erumpent, ac tibi hymenæum canentes, faces præferent nuptiales: ego hoc qualicunque libello, quo vno iam possum, meam aduersum te obseruantiam testabor: ac tibi felix administrationis tuæ auspicium, fortunatum in longum annorum spatium coniugium, longamque propagationis seriem præcabor.

Vt senex videas gregem nepotum.

Nec dubito, quin muneris huius (quod ductu auspicioq́ue tuo prodit) tenuitatem, animi tui magnitudo & singularis humanitas subleuatura sit.

Vale.



AD NOB ET CL. VIRVM
HIPPOLYTVM A COLLIBVS, IVDI-cij curiæ Archipalatinæ præsidem.

MELOS.

PAVLI MELISSI FRAN-CI, COM. S. PALATII ET Equit. ciuis Romani.

Euentum facilem vix adipiscitur,
Quicquid consilio non geritur bono.
Iustæ examine lancis
Res primùm trutinanda erit,
Dein cum iudicioq; & ratione mens
Prudens suscipiet grande negotium,
Atq; inde side cura
Effectum dabit illicò
Quòd si priua domi res temerè abnuit
Inconsulta geri, ne vitiosior
Culpa fortè laboret,
Quantò sollicitam magis

In commune bonum sedulitas manum
Poscet: Veliuolas Oceani rates
Pessum vadere cernas,
Ni rectoris opem vagæ
Constantem trepido turbine sentiant.
Sic rerum dominos exitio pari
Accersita ruina
Orco præcipitauerit,
Cautis ni fuerint consiliarijs
Vsi. næ simili supplicio mihi
Tortos membra videri
Aio Ixioneæ rotæ,
Si quos destituit consilium duces.
Non quemuis procerum fecit idoneum
Terris ritè regundis
Aut natura sagacior.
Aut fictrix animi celsior ars, cati,
Aut mos adsiduis tritior vsibus.
Nam circumspice sodes,
Raris HIPPOLYTE ingenI
Donis præ reliquis aucte viris: quotum
Nobis quemq; ducum nobilium dabis,
Cui cum lactis opimo
Materni sapientiæ

Accrerit

Accrerit cumulus? Non pote vitiet
Regi vlli, vacuo consiliantium:
Vt nec fulgere Phœbo
Experti radijs datur.
Felicem patriam, cui bonus obtigit
Princeps: eximia est dos ea Numinis.
Felicemq; tetrarcham,
Cui sani bona pectoris?

MYRTILLETI.



QVOD DEVS BENE VERTAT.


I in rebus etiam priuatis nos nobis non ſufficimus: vt cum agitur de filia collocanda, de fundo emendo, teſtamento faciendo, ſocietate ineunda, vel alia ſimili de re: & certiſſimum eſt, ſapientiſſimum quemq; aliorum ſæpè prudentia egere, medicorum ægrotantium more, qui alios ſibi adhibent medicos, quilibet enim in ſuo negotio hebetior, quàm in alieno: multò ſanè minùs conſilio aliorum carere poterunt ij, quibus multi populi & infinita negotia, *Tac. l. 4. ann.*) eaque publica, commiſſa ſunt: qui ita nati ſunt, vt bona malaque eorum ad Rempub. pertineant: ij, inquam, qui ſi vel minimum errent, ingenti protinus id totius regni, ſæpè & orbis malo faciunt. *Grauiſsimi Principis labores,* (ait Tacitus, *lib.* 12. *annal.*) *queis orbem terræ capeſsit, egent adminiculis.* Idcircò quemadmodum Tyranni fidos conſultores odio habuerunt, ac ſummos honores ingenteſque diuitias, iuſtiſſima virtutum præmia, impuris & ſceleratis hominibus, prædæ obiecerunt: mimis, ſcurris, leno-

nibus,

nibus, quorum flagitijs imperia euersa: sic optimum contra quemque Principem Consiliariis stipatum fuisse legimus, totidem veluti oculis, auribus manibusque, C. Cæsar Quint. Pedium & *Them.orat.3. & Syn.*
Corn. Balbum habuit: *de regno ad Arcad.*
Augustus Mœcenatē *Dio.Cass.lib.52.*
& Arippam: Adrianus Celsum, Saluium & Neratium. M. Antoninus Scæuolam, Mutianum & Volosianum: Seuerus Papinianum, & alii alios. *Raro*, inquit Velleius, *eminentes viros non magnis adiutoribus ad gubernandum fortunam suam vsos inuenies.* Imò sapientiæ argumentum in Principe nullum maius, quàm sapientium virorum consilio vti. *Benè enim,* inquiunt Impp. (*l. humanum C. de legib. l. dubium C. de repud.*) in quodam rescripto: *Cognoscimus, quod cum vestro consilio, Patres conscripti, fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperij, & ad vestram gloriam redundare. Non viribus,* ait Cicero, (*in Cat. maiore*) *aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: sed consilio & auctoritate. Atque ego,* inquit Salustius, (*in Orat Cæs.*) *multa legendo atque audiendo ita comperi: Omnia regna, ciuitates nationes eo vsque prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt, vbi gratia, timor,*

voluptas,

voluptas, ea corrupére, statim imminutæ opes deinde ademtum Imperium: postremò seruitus imposita est, quod tunc intellectum est, cùm Pericles, vt plebis gratiã captaret (*Plutarchus*) Areopagitarum auctoritaté sustulisset. & ea quæ priùs in Areopago tractantur, ad populum transtulisset. Nam haud multò post Respublica tùm externis, tùm intestinis bellis concussa ruere cepit. (*Dionys. Hal. l. 2.*) Atq; hanc fuisse caussam vnicam existimant, cur Roma tàm diu floruerit, quod qui ei præfuerunt, non sua, sed Senatus consilia sequuti sunt: horum mihi nihil accidisset, dicere Diuus Augustinus solebat, postquam flagitia domi suæ in publicum emisisset, si aut Agrippa, aut Mecænas vixisset. *Nullum enim maius boni Imperij instrumentum, quàm bonus Consiliarius, qui non immeritò pacis decus vocatur.* Atq; vt vno verbo dicam, non magis mens & ratio in corpore humano necessaria, quàm Consilium in Principe. Sed vt commoda etiam alia, quæ ex Principis benè consulti iussis emergunt, omittam, Nonne Princeps ex assiduitate consiliorum in negotiis cæteris decernẽdis prudentior fit? notum est illud Græcorum: sapientum congressu Principes sapiunt. *Princeps bonus*

Sen. 16. de Benefic. c. 32. Tacitus li. 4. hist.

bonus sit, ait Capitolinus (*Iul. Capit. in vita Alex.*) *si bonis amicis vtatur.* & detur durius quid à Principe imperatum fuisse: iustum tamen & rectum subditis vel vnica hac de caussa videbitur, quia consilio prudentum factum: Neque maius vllum indicium bonæ mentis ostendere potest Princeps, (vt præclarè Cominæus) quàm si eligat sibi, & ijs, familiariter vtatur, viros virtute & fama celebres. nam omnes statim iudicabunt: Talé esse Principem, quales sunt eorum mores, quorum familiaritate ipsum implicatum animaduertunt. *Ex Senatoribus Principes noscuntur*, ait apud Tacitum Otho Imp. (*lib. 1. hist.* Adde quod dominum illum offendere ciues metuant, & ipsius iussis contradicere, quem sciunt omnia cum consilio prudentum agere solere: vt taceam iucunditatem, qua Princeps, qui sibi bonos viros studio ac beneuolentia deuincit, (*Synesius de Regno*) in quorum virtute conquiescat, fruitur. Quid in vita amico fideli dulcius? quod prædiũ quæve possessio tàm opima, tamque omnium fructuum ferax & fertilis, quàm amicus est? Sed ad rem. Consilium, ait Philosophus, (*Moral. lib. 6.*) est inuestigatio quædam earum rerum, quibus ad finem, quem nobis

propo-

proposuimus, facilè peruenire possumus. Cicero verò excogitatam aliquid faciendi vel non faciendi rationem definit. quæ definitiones ita intelligi debent: vt illa de consultatione loquatur, hoc est, de consilij inuentione: hæc verò de ipso consilio, vt est consultationis effectus. At nos (quia hoc in loco consilium pro Principum Senatu sumimus, quo sensu Tullius, *qui ex Senatu hoc in consilium delecti estis, &c.* Consilium dicimus selectorum virorum legitimam congregationem, siue cœtum, qui Principi suo, quomodo Respub. belli seu pacis tempore administranda sit, consulunt: vnde etiam dictum videtur, quod sc. in vnam sententiam plurium mẽtes consiliant & conueniant. Hinc tria in quolibet consilio requiri patet: *Personas* consulentes, Consiliarium videlicet qui consulitur, (*lib. 3. inst. 8.*) & Principem qui sententiam rogat: *Res*, quæ in consilium veniunt, & *finem*. *Tria sunt*, ait Quintilianus, *in suasoriis seu in consiliis spectanda: quid sit de quo deliberatur, qui sint, qui deliberant, & ad quid.* De istis ordine, sed breuiter, disserere animus est. Consiliarius dici-

Bod. de repub. l. 3. cap. 1. Fur. Ceriol. cap. 1.

Festus in vers. Consilium.

dicitur, qui Principi suo salutaria de Repub. fideliter & prudenter suggerit. Ex qua descriptione duo notanda, ea quibus instructus esse debet & officium. Consiliarium iis animi & corporis præsidiis & veluti instrumentis munitum esse oportet, quibus finem suum, & ea, quæ ad finem spectant, consequi possit. Caput ad consilium de Repub. dandum est nosse Rempub. Nemo de iis rebus sapienter disserere, aut aliis rectum consilium dare valet, quas non nouit, & notum est illud, turpe esse Iurisconsulto, ius in quo versatur ignorare, non minùs quam Medico & gubernatori morbos cognoscendi & curandi, aut nauigandi peritia carere. Regiis igitur artibus præstet opus est, qui regem est consilio adiuturus: notas habere debet, vt summatim dicam, eas omnes res, quæ à Principibus tractari solent: actiones, quæ ad pacem vel ad bellum spectant: versatus sit in rebus gerendis, atque in ipsa ciuili administratione. Quod vt melius intelligatur, præsidia dicimus Consiliarij esse, partim à natura, partim à studio, partim à fortuna, & vt breuius, vel insita, vel acquisita. Insita, vt ingenium, forma corporis: Acquisita studio vel exercitio: vt artes, disciplinæ, virtutes.

Quum

Quum igitur in quouis genere virtutis nemo excellere posse videatur, nisi naturę fundamentum iactum habeat, Consiliarium ingenio præstantem esse oportet. Nam vt ingentia pondera, quæ nullis hominum viribus eleuari possunt, machinis facilè tolluntur: ita quod aliâ sæpè ratione nequeas, ingenio id facilè efficas. (Cic. de offic.) *Animi & ingenii celeres quidam motus*, ait ille, *esse debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumque sint vberes, & ad memoriam firmi ac diuturni.* Ingenio inquam Portiano, in rebus ciuilibus tractandis versatili, & indefesso Consiliarium esse conuenit, qui tanquam odorati cuncta, eáque cernere ac seligere valeat, qui consilium secundum circumstantias aptare sciat. vt enim in nauis administratione alia in secũda, alia in aduersa tempestate vsui esse videmus: sic magna pars consilij erit, vt in tempore. *Consilia enim rebus aptantur, res ipsæ feruntur, imò voluuntur. quare consilium sub die nasci debet, & hoc quoq; tardum est nimis, fallaces enim sunt rerum species: sub manu, quod aiunt, nascatur oportet*: quod magni ingenij est. Rebus nouis talis esse debet constantia, (*Fur. Ceriolan. cap. 2.*) vt rapienda sint consilia,

Seneca Epistola 71. in prin.

ſilia, uon quærenda: vt V. Sabinus dicere ſolebat.

Nimirum hoc illud factum in horas,
Si toties res ipſa ferat, noua ſumere ſemper
Conſilia.

Ingenio præditus dignoſcitur, ſi in dicendo argutus, in reſpondendo promtus, in accipiendo facilis, in docendo clarus, in ſerijs cautus fuerit. (*Epiſt. 39. lib. 5.*) *Neminem excelſi ingenii virum humilia delectant,* ait Seneca, *& ſordida magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat.* Ingenij vi numeroſiſſimam rerum ſpeciē exiguo tēpore percipi videmus, *quæuis,* vt idem auctor alibi, *præceptis alitur & creſcit, nouaſque perſuaſiones adiicit innatis, & deprauata corrigit.* Quantum quæſo, vt cætera taceam, ſolo Dialecticorum acumine excitatur, quo primo intuitu omnem argumentationem, non dico ad Philoſophorum diſceptationem ſed ad quamcunq; rem propoſitam elicere poterit. Sed hoc acumine rectè vti debet Conſiliarius, ne Sophiſtæ nomē mereatur. Quod igitur dicimus ingenio opus eſſe, id intelligendum non tantum acuto & magno: ſed alacri etiam & apto, quod habeat iudicij directam normam. Sine hac enim ingenij cōmoditate, negotia plerunque exitus non ſolùm

lùm

lum minimè optatos : ſed exitiales etiã habent. Nimis ſubtilia & ignea ingenia(vt rectè Curtius) (4. *& Thucyd.l.3.*) quæ in aſſiduo motu verſantur. nouandis quàm gerendis rebus aptiora ſunt: quòd ſi quid auctoritatis in ipſis eſt, deſtruunt. Fit etiam ſæpè, naturæ(dona ſua inter mortales partientis) decreto: vt idem quamuis excellẽti ingenio præditus vir, non omni negotiorum generi aptus ſit, neque ſatis feliciter ſeſe variis hominum ingeniis & ſtudiis accommodet, vtrumque concurrat neceſſe eſt. Marcus Cato talis erat, vt ſi arma ſumpſiſſet, natum in armis crederes : ſi ſe ad ſtudia conuertiſſet, inter literas educatum. De eo ita Liuius (*Decad.4. lib.1.*) prædicat. *In hoc viro tanta vis animi ingeniiq; fuit, vt quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſi facturus videretur.* Titi ingenium ait Tacitus, (*libro 2. hiſtor.*) quantæcunque fortunæ capax & decor oris cum quadam maieſtate, famam augebat. Magnum igitur quoque Conſiliarij ornamentum forma corporis dignitati congruens, oris decus & elegantia. Nam quamuis morbo vel tempore defloreſcat, & nec noſtra, nec animi ſit: pulchrum tamen amabile ſuapte natura eſt, quandoquidem externa pulchri-

chritudo diuinæ pulchritudinis imaginem refert, & licet interdum sub ignobili forma lateat pulcherrima natura, & sub ignobili corpore insignis lateat animus: id tamen rarum est. (*Diog. Laer. in Socrat.* Sapientissimus ille pulchros præ cæteris ad philosophiæ studia admittebat: de pulchritudine hîc loquimur, quam Cicero in dignitate, non in venustate ponit: quoniam vbi vera pulchritudo, ibi quoq; ingenium pulchrum: in fucata verò & muliebri pulchritudine omnia fucata. Dignitas corporis apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat vel hoc ipso, quod omnes partes cum quodam lepore inter se consentiunt. P. Scipio Africanus maior, formæ dignitate Barbaris in Hispania admirationi fuit. *Tanta specie*, ait Iouius, (*in vita magni Sfortiæ*) *ad exprimendum omne decus in magno Sfortia dissimilium rerum partes ratione atque ordine respondebant: vt à rudibus, rusticanisque, qui eum nunquam vidissent, pari inter multos cultu, & sæpè sine comitatu, vti omnium Princeps atque Imperator salutaretur.* Ridiculi vulgo sæpè fiunt, ac dignitatem amittunt, quos natura potiùs, quam casus aliquis deformarit. Etiam barbaris hominibus, ait Curtius, in corpo-

corporum maiestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare natura dignata est. De ætate (*Claudianus*) Consiliarij quæri hoc in loco potest, qua scilicet cum fructu legendus, iuuentus sanè *lubrica moribus ætas*, varijs cupiditatibus obnoxia, iræ, desiderio dominandi, ambitioni, intemperantiæ, vehemens est impetus iuuentæ in vtramq; partem, (*De regno*) *Arist.l. 2. Rhetoric. de moribus ætatum.* *Synesius*, non aliter quàm amnes, qua via data est eruptio, illuc excurrunt auidiùs. Adde quòd iuuenes sapientia, rerumq; gerendarum vsu excellere non possint, nec auctoritate apud populum vel alios, quibus interdum aliquid persuadendum valeant, & dolis etiam haud difficulter capiantur: vnde non immeritò abortiui vocantur Consiliarij. *Cautum est Domine* (scribit ad Traianum Plinius) *ne quis capiat magistratum, neve sit in senatu minor annorum triginta.* Senectus contrà vt plurimum timida, suspiciosa, incredula & auara. Quantò enim morti quis vicinior, tantò magis solicitus & timidus, addo laborum & dolorum impatiens, obliuiosus (quo defectu multę negliguntur sæpè occasiones) &na-

& natura loquacior, quod si experientia aliqua adsit, ea non rarò in obstinationem conuertitur. Hisce rationibus motus Arist. iuniores & senes è numero remouet germanorum ciuium iuniores, quòd ciues sint imperfecti: senes, quod effœti. *Cùm in quintum gradum peruenerant*, ait apud Nonium Varro, (*Varro*) *atque habebant sexaginta annos, tùm denique erant à publicis negotiis liberi atq; expediti & otiosi*. Ideo in prouerbium quidam putant venisse. Sexagenarios de ponte deijci oportere hoc est quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.

Sigonius de antiquo iure ciuil. Rom. lib. 1. cap. 17.

A *quinquagesimo anno lex militem non cogit: à sexagesimo Senatorem non citat*, ait Seneca, *Sen. de breu vitæ cap. vlt.*) Media igitur ætas consiliis opportunissima: mediam intelligo ætatem à trigesimo ad sexagesimum vsque annum. Quod in eligendis Consiliarijs regulariter dico: (*lib. 52.*) scio enim & antè trigesimum (quod Dio decreto Mecænatis statutũ scribit) & post sexagesimum ad munus istud idoneos reperiri posse, sed vt rectè Furius Ceriolanus censet: tutius est qui triginta nondum attigerunt annos, celebres adeant Academias, peregrinentur, vrbes

moresq;

moréſq; hominum diſcant, aulas Principum intueantur, (*cap.3.*) caſtra ſequãtur &c. ſexageſimum verò qui exceſſerunt, ſibi viuere incipiant, in otio & quiete, quæſitis vtantur, & ſolius animæ ſalutis curam gerant. Hinc ſenibus tanquam emeritis beneficia, honores, vacationes munerum à legibus tribui videmus. Hæc de bonis inſitis & de ætate. Acquiſita bona circa ea verſari dicemus quæ (vt ſuprà attigi) ad Rempub. benè ac feliciter gerendam neceſſaria ſunt: circa notitiam ſcilicet earum rerum, quæ in omni genere principatus ad Imperij magnitudinem & cõſeruationem potiſſimum pertinent. Inter cętera, quibus munitus eſſe debet Conſiliarius, principem locum obtinet prudentia Theologica. Nam cùm impietas omnem ex animo peccandi metum euellat, & conſilia impiorum fraudulenta ſint: ſequitur Religionis cõtemptum, rerum publicarum euerſionem adferre. Neceſſarium igitur Conſiliario, ne populus in religione fluctuet: quinam rectè vel malè ſentiant, ſcire quínam religionis cauſſa coerceri debeant, vel non: quomodo ſectarum vindices euelli poſſint, &c. Neque ſolum hoc ſcire debet: ſed & ipſe Religioni ex animo addictus eſſe, votis ac precibus Deum

Deum colere. (*Lactant. de iusticia, libro 5. cap. 15.*) nam vt omittam, Deum solum esse, qui mentem dat, qui animum confirmat, qui opes elargitur, qui fraudes intestinas comprimit, qui hostium impetum retundit, qui victoriam omnibus, & magnis viris gloriam dat: quomodo quæso Consilium de rebus magnis inire poterit, qui mentem castam, & diuino splendore collucentem non habet, omne verum lumen, quod admirationem commouet & amorem conciliat, in religione situm. talis etiam est opinio, eos qui Deo chari sunt, diuinis consiliis instrui, & ista de caussa minimè labi & errare posse: id quod & Ethnici viderunt, quibus, fictæ licet & commentitiæ, religionis opinio auctoritatem apud quamplures nationes attulit magnam. nullo vinculo magis in officio retinemur, quàm religionis sinceræ præcipuè. quemadmodũ igitur nullo modo publica vtilitas ab honestate separari: ita nec honestas à pura religione auelli potest, & vt concludam, (*Valer. Max.*) *Fallunt qui humanis imperijs & regibus, non vltionis diuinæ metu Respub. contineri docent: humana consilia castigantur, vbi cœlestibus se præferunt.* Ad prudentiam humanam venio. & Consiliarium Philoso-

losophiæ cognitione carere non posse affirmo.(*Cic de clar orat.*) Quamuis autem cum de vera Philosophia loquimur, eam intelligamus, quæ in actione consistit, moralem scilicet, familiarem & ciuilem: alterius tamen etiam quæ in contemplatione versatur, naturalis scilicet, & Mathematices gnarum esse vellem. Turpè esset homini Consiliario in Regum & Principum aulis versanti, & cum magnis viris sæpè congredienti loqui nescire de naturæ rerum caussis, quę vis materiem omnem, & quicquid ex ea efficitur, & quasi informatur, contineat, quàm variæ ex ea & multiformes expressæ fuerint qualitates: vnde illa corpora extiterint, quæ Elementa vocamus, quæ vis fulmina & tonitrua impellat, inusitatos ignes accendat, arcum tàm varijs coloribus distinguat, ventorum prælia concitet, terram concutiat, aquis terras aperiat, aut perpetuos terrarum tractus aquis obruat, & similia. Sed Mathematicis imprimis artibus instructum eum esse vtilissimum fuerit Astronomia, præter quā quod Physicæ proxima est, dat nobis exquisitam Solis & Lunæ cursus: denique omnium rerum cœlestium cognitionem. Facessite vos Genethliaci & iudiciarij, qui ex astris homini fu-

ni futura præiudicatis, & ex ijs diuinare vultis. Arithmetica supputandi artem perquam necessariam monstrat. quomodo enim acceptorum expensorumque rationem intelliget, si casu aliquo ei quæstorum, aliorumve suspectorum argentariorum ratiocinationes committantur? Geometria sanè inter alias Consiliarium summè iuuabit, sine cuius ope historiæ intelligi, agri rectè diuidi, castra locari, vrbes ædificari, arces muniri, ædificiorum, templorum, ædium, nauium, reliquarumq; rerum dimensiones haberi nequeũt. Tolle metiendi rationem & iustitiam, (*Bod. l.6.c.6.*) ciuiumque cõcordiam multasq; alias vtilitates è vita tolles. Qui formam illam Geometricam regendæ ciuitatis intelligere poteris, si quid Geometricũ sit, ignores quomodo intelliges Arithmeticas leges in tribuendis honoribus, vel in aliis, si Arithmeticam non tenes. De Philosophia practica aliquid inculcare superfluum videtur. Planè absurdũ esset in Repub. versanti, ea quibus præcipuè Respub. stat, & ex quibus manat, ignorare. Neque aliam Philosophiam intellexit Plato, cùm nobilissimam illam vocem tanquam ex oraculo edidit; Tùm demum beatas fore Respub cùm aut regnarent

Philoſophi ; aut Reges philoſopharentur. *Nulla laudabilior philoſophiæ pars eſt*, ait Plinius (*Epiſt.2.*) *quam agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere & exercere iuſtitiam, quæque Philoſophi doceant, in vſu habere.* Hæc Philoſophiæ pars docet, quid honeſtum, quid turpe, quid extremum bonorum & malorum: quomodo domus regenda quæ patris, quæ mariti, quæ heri poteſtas, quæ inſtrumenta tàm animata, quàm inanimata, & quo pacto res familiaris tuenda, quot Imperiorum genera, quibus virtutibus & diſciplinis imbutum eſſe oporteat, qui Rempub. benè adminiſtrare velit: quis ſit optimus Reipub ſtatus, quibus artibus inclinatæ, ruenteſque ciuitates ſubleuentur, & optimis inſtitutis & legibus temperentur. Affirmat apud Cic. (*de Orat.*) Craſſus: nullum eſſe oratorem poſſe, niſi qui hanc Philoſophiæ partem omnem perdidicerit. Omnis enim oratio ſit ex ijs rebus, quæ vel agendæ vel fugiendæ ſunt: in quibus cùm officium omne cõſiſtat, ſequitur neceſſariò, vt qui officiorum ignarus eſt, is etiam in dicendo rerum inops & infacundus ſit. Non immeritò igitur exclamat idem: (*de Tuſcul.*) *O vitæ Philoſophia dux, ô virtutis indagatrix, ô expultrix vitiorum,*

& quæ

& quæ ſequuntur. Scio vulgi opinionem eſſe, eos, qui Philoſophiæ ſtudijs paulò vlteriùs progrediente ætate dediti ſunt, homines in ſolitudine verſatos, conſuetudinis imperitos, ad res agẽdas nulla ratione idoneos eſſe, σοφοὺς μὲν ἀλλ' οὐ φρονίμους.

Heu mihi philoſopharis? atqui Philoſophi (*Athen. lib. 13. dipnoſop. cap. 33.*)
Sermone ſolo ſunt Sapientes: cæteris
In rebus eſſe noui ego ſtultiſſimos.

ſed falluntur. Nam nõ loquimur hîc de Philoſophiâ, quæ in meris ideis animi vacui ab omni gubernatione fingitur, nec de philoſophaſtris, qui vel ſine iudicio Philoſophiæ operam dant, vel nimio eius ſtudio ducti philoſophia vti neſciunt: & ſapientes ſunt, præterquam in ijs, in quibus ſapientes eſſe debent. ſed de ijs, qui vſum & exercitationem coniungunt. *Heluidius Priſcus* (ait Tacitus) (*lib. 4. hiſtor.*) *ingenium illuſtre altioribus ſtudijs, iuuenis admodum dedit: non vt plerique, vt nomine magnifico ſegne otium velaret, ſed quo firmior aduerſus fortuita, Rempub. capeſſeret, doctores ſapientiæ ſecutus eſt, qui ſola bona quæ honeſta, mala tantum quæ turpia, potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis neq; malis annumerant. Quæſtorius adhuc à*

Ceto

Paeto Thrasea gener dilectus, è moribus soceri nihil æquè ac libertatem hausit, ciuis, senator, maritus, gener, amicus: cunctis vitæ officijs æquabilis, opum contemtor, recti peruicax, constans aduersus metus, qui veræ philosohiæ veri fructus (*Bod. lib.3. cap.1.*) Ad Iurisprudentiam venio, quæ ex hoc manauit fonte. nam quamuis Principis consistorium litibus disceptādis occupari nō debeat, vt suo loco dicemus: nihilominus, quia & extra ordinem sæpè iudiciaria incidunt, & leges firmissima Imperiorum fundamenta sunt, absurdum esset, omnium artium & scientiarum moderatricem & architectonicen ignorare Consiliarium. *Cum sis*, ait in quadam Epistola Plinius, (*lib.8. Epist.14. ad Arist.*) *& priuati iuris & publici, cuius pars senatorium est, peritissimus: cupio potissimùm ex te audire, errauerim in senatu proximè necne: non vt in præteritum (serum enim) sed vt in futurum si quid simile inciderit, erudiar.* Sæpè nouæ leges condendæ, sæpè in proditores, peculatores, ambitus & maiestatis reos & latrones animaduertendum. Sed & inter Principes tales exoriri possunt controuersiæ, de quibns in magno consistorio agatur. Quoties enim agitur de iure alicuius ciuitatis? de iure portus, agri, fluuij &c. vnde leui de caussa sæpè bella

nas-

Iurispru dentiæ necessitas

nascuntur, quo casu efficiet hæc cognitio, vt non solùm de re proposita disserere doctè valeamus: sed etiam vt bellum iustene susceptum sit, intelligamus. Verùm historię cognitionem supra omnia Consiliario necessariam dico. Rectè Philosophus (*Aristot. l. 2. Rhet. c. 21.*) ad consultationem res gestas vtilissimas esse affirmat. nam vt plurimum præteritis futura simllia sunt. Tantam sanè copiam & vbertatem earum rerum suppeditat Historia, quæ ad vitam rectè instituendam, & Rempub. optimè administrandam pertinent: vt qui ea legat attentiùs, vt sunt à rerum scriptoribus literis tradita, & non idem continuò in omni genere laudis excellat, is planè omni laude indignus videatur. *Longum iter est per præcepta*, ait Seneca, (*Epist. 6. breue & efficax per exempla.* Dixi attentiùs: plærique enim cognita re, qua de agitur, tanquam hic vnus sit finis in legendo, ea vna contenti longiùs non progediuntur. Qui negligenter igitur, exempli gratia, Thucydidis (*lib. 2.*) scriptoris grauissimi, & quem inter Græcos senatus historici principem quis audeat appellare, bellum quod conscripsit maximè omnium memorabile inter Athenienses & Lacedæmonios, quod victoribus

penè ac victis exitio fuit, percurrit, præter nudam ipsam rem nihil habet, quod quęrat: qui verò attentè legit, res ita loquentes audit. (*Brut. de hist. laud.*) Discant Atheniensium exemplo ciuitatum moderatores quiescere, vbi facultas datur, cùm pacis atque otij tuendi, non turbandi caussa arma adinuenta sint, ne patiantur se efferri cupiditate proferendi imperij in patrię exitium, cum certa infamiæ nota ne assuescant aliena bella sua facere. (*lib. 4.*) & per speciem iuuandi amicos, imminére ad eorum perniciem quos iuuant: discant aut compressas habere animi cupiditates, aut quod malum quidem est, sed mitius malum, quoad spes certior rei agendæ affulserit, tectas, occultasque habere. si qua de re controuersia orta sit inter communes amicos, malint auctoritate cõciliandis animis vtriusq; partis studia, quàm armis partem alteram fouendo & sibi exitiũ quærere & suis. Sed ad alia aliorum scripta descendamus. Si quis demonstrare velit Principes moderatos esse debere, atq; vti potestate in suos legibus præfinita, non immani, non infinita, abstinere à priuatorum iniurijs, quorum alienatis animis nullam potestatẽ posse diuturnam esse: ita traditum vni imperium

perium in multos, vt suorum saluti & orna-
mento non dedecori & exitio esse debeat.
hæc & talia facilè ex L.Bruti historia eliciet.
(*Liuius l.1.2.*) Si quis Regis optimi expressam
effigiem habere vult, & virtutum omnium
quibus efficitur, vt in vno homine contine-
tur multarum gentium salus, fidei imprimis
admirabile exemplum, æquè secundis ac
aduersis rebus amicitiæ cum socijs colendæ,
hospitalitatis & munificentiæ in proximos:
is Hieronis optimi Principis *Liuius lib. 23.*
vitam sibi proponat. Contrà *& 24.*
qui Tyrannum in præceps ruentem, super-
bum, omnes & omnia dispicientem, qui pa-
tentes habeat aures regiorũ blanditijs, præ-
clusas tutis consilijs, & miserorum querelis.
atque dicendi genus contumeliosum: is Hie-
ronis generos intueatur. Si quis, quantum
mulier mali interdum possit, scire auet: is
quid Demarata apud maritum Androno-
dorum effecerit, perpendat. Si magna æra-
rij difficultas sit, nec alia inueniri possit ex-
plicatior ratio: is consulat M. Marcellum &
Valerium Leuinum Coss, (*Ælian. l.9.*) qui Se-
natui populoq; collationem suadendam di-
cent: ita vt à maiorum gentium dijs initium
fiat: quod olim Romæ ita successit, vt

quilibet præcipuorum quicquid æris, argenti, auri facti, infecti, apud se haberet, annulo modo sibi retento ac salino, & patella sacrorum caussa, & filio bulla, in publicum tanto certamine iniecto contulerit, vt prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse, & nec triumviri accipiendo, nec scribæ referendo sufficerent, ait Liuius (*lib.26.*) Hæc ad exemplum dicta. In legenda itaque historia, non solùm rerum gestarum, locorum & temporum descriptiones, sed etiam rerum caussas obseruarit Consiliarius, consilia, acta, euenta, cur quid gestum, cur quid omissum sit: tum euentus, quid ita hi læti illi minùs ex sententia? casuné factum sit & felicitate, an virtute & consilio, vt quid præclarè ceciderit. si quid malè euenerit, quî occurri potuerit, ne eueniret: peccatum ne à duce sit, malè puta ducendo agmine, instruenda acie, loco deligendo castris, quò, si quid durius accidisset, facilis esset receptus, quæ victoriæ caussa commisso prælio, quæ victis rei perperàm gestæ. *Ad illa mihi* (ait Liuius) (*in præfat*) *pro se quisq; acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusque artibus domi militiæq; & partum & actum imperium sit: labente deinde paulatim disciplina,*

velut

velut diſsidentes primò mores ſequatur animo: deinde vt magis magisq; lapſi ſint, tùm ire cæperint præcipites: donec ad hæc tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, peruentum est. hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: (Pol.lib 3.*hiſtor.*) *inde tibi tuæq; Reipub. quod imitére capias: inde fædum inceptu: fædum exitu quod vites.* Quemadmodum enim medici nihil prodeſſe ægrotantibus poſſunt, ſi morborum cauſſas aliaſque circũſtantias ignorent; ita qui circa res geſtas verſantur, omni prorſus fructu carent, niſi & loci & temporis & cauſſarum, omniumq; occaſionum ratio conſtet, nam nec illi ægrotos rectè curare, nec iſti quicquam in rebus agendis obire poterunt: niſi eorum omnium cognitionem veram habeant. Admirabilis inter cęteros (*Suidas*) Polybius eſt is, qui cum poſteriore Africano vixit. Nam rebus explicatis, quemadmodum geſtæ adminiſtratæq; ſint: tum quid prudenter & callidè, quid temerè & inconſultè, quid cum laude, quid cũ dedecore actum ſit, ſubiungit: vt inde qui vellent ad agendũ documenta illuſtria habeant. Quod idem Salluſtius obſeruat: euenta enim ita narrat, vt cauſſas ſimul aperiat.

vt omnia nostra consilia, imò omnes nostras actiones veterum exemplorum regula, metiri facilè possimus. Sed & Tacitus, qui vel maximè Consiliarij manibus terendus. salubrium enim præceptorum politicorũ tanquam seminarium quoddam est. Historias intelligo non tantùm veterum Græcorum & Romanorum, sed etiam nostri temporis, præcipuè verò familiæ Principis, cui inseruit, & (*Fur.Ceriol.c.2.*) vicinorum Principum, & Rerumpublicarum, cum quibus ei vel per consequentiam res fuit vel est, siue sint amici, siue hostes. Qua in re Consiliarium non parùm iuuerit, varias lustrasse prouincias ac regiones, celebres inuisisse ciuitates, multarum nationum mores ac vitas edidicisse, sinus, portus, promontoria, montes, flumina, maria, loca denique quæcunque sunt insignia diligentissimè cognouisse: vt scilicet ex peregrinatione, exterorum notauerit instituta, mores, vrbes, leges, imperij genus: Magnos viros cognouerit, & allocutus sit. aulas Principum frequentârit notauerit, inquam, an prouinciæ, quas viderit, armis munitæ: quænam in ijs bella præteritis temporibus gesta fuerint, & qua occasione: nouerit vicinorum Principum potentiam, vt sciat, à qui-

quibus sibi timere possent, & quibus fidere, aduersus quem bellum gerere, cum quo fœdus inire, qui reditus, quæ expensæ, quomodo Respub. illa defendi queat, quis statns & similia, atque hac tàm exactè, vt ei nemo falsarum rerum narratione imponere possit: item quàm lata sit & longa prouincia, vel Regnum, quas munitiones habeat, vbi nam aditus pateat, quâ re subditi delectentur, quibus vitijs laborent, quot flumina non vadosa, & alia huius generis. Quis enim dubitat eum, qui sic peregrinatus est, & in potentissimorum Principum aulis versatus, qui sæpe cum nobilissimis viris congressus est, propterea, quę obseruauit in rebus agendis magis idoneum esse tenebricoso altero, qui domi clausus, quid apud exteras gentes fiat, ignorat. *(lib. 35.)* Notat Liuius Minionem Regis Antiochi intimum Consiliarium, qui omnium externorum ignarus Regi suo bellum aduersus Romanos suaserat, regno illi perniciem attulisse. De eloquentia ita sentio: cum Deus hominum generi duas maximè peculiares dotes elargitus sit, in quarum inest altera intelligendi ac iudicandi vis, quam rationem nominamus: in alte-

Donat. de Repub. vend.

altera orationis facultas, vtramq; excolen-
dam, parum inquam eſſe rectè ſentire, &
prudenter intelligere,ſi quæ rectè ſentias &
intelligas,politè eloqui non poſſis. Conſilia-
rium itaque eloquentem eſſe oportet, & de
rebus omnibus variè & eleganter dicere poſ-
ſe,quamuis enim in ſententia dicenda ma-
gnam non requiram eloquentiam (nam e-
ius munus præcipuum non eſt delectare &
verborum lenocinijs perſuadere, ſed nudè
ſententiam ſuam explicare) fieri tamen po-
teſt,vt quis ad alias Reſpub. mittatur ad ſua-
dendum,diſſuadendum, laudandum, vitu-
perandum,gratulandum,dolendumúe: fieri
etiam poteſt,vt ei mandato Principis ſui,ſive
apud Principes exteros, eorumúe legatos,
ſiue apud populum, vt ipſum forte à furore
ad ſanitatem perducat, loquendum ſit: ibi
orationem Conſiliario ſapientiſſimis ſenté-
tiis grauiſſimiſque verbis perpolitam deeſſe
nolim: ita tamen vt ſcholam non redoleat,
ſed ad audientium aures accommodata ſit:
nō in ſpeciem nimis elaborata, neq; ſenten-
tias & rationes nimis reconditis è locis eru-
tas, aut nimis longè accerſitas contineat.
*Maximus ſtudiorum fructus & veluti præmium
quoddam ampliſſimum longi laboris*, ait Quin-
tilia-

tilianus, (*lib.10.c.7.*) *ex tempore dicendi facultatem nactum esse.* quid enim ad alliciendas voluntates impellendosq; animos eloquentia vtilius? Sed nec illis casibus multiloquam & vagam, sed breuem & argutam eloquentiam laudârim. Armatam plebem Romanam, quæ Regibus exactis nimia libertate secesserat à patribus, pestifera seditione diuisam, & miserrimum Reipub. statum P. Valerij breuis oratio, in pristinum reduxit statum, & *verbis facundis*, ait Valerius Max. *l. 8. c.19.* *ira, consternatio, arma cesserunt.* Et notum est illud Menenij Agrippæ, Popilij Consulis & aliorum. Cæteroquin in sententia dicenda, nec procemiis, nec epilogis vtetur, vt tota dicentis industria in rei ipsius substantia defigatur. Nihil ante tam paruum, ait Plinius, (*in panegyr.*) tàm vulgare in senatu agebatur, vt non laudibus Principũ immorarentur, quibus censendi necessitas accidisset. At nunc quis nostrûm tanquam oblitus eiusdem quo refertur censendi officium Principis honore consumit? tuæ moderationis hæc laus, &c. *Senatori hæc iussa sunt*, ait Tullius, (*de legib.*) *vt adsit. nam grauitatem res habet, cum frequens*

Plutar. de vir. illustr. & Cic. in Bruto. Aristot. 3. Rhet. 1. & 16.

est

est ordo vt loco dicat, id est, rogatus : vt modo, ne sit infinitus. Tres reperio dandi cõsilij modos, Ratione ſcilicet, auctoritate & exemplo: (*Ariſtot.lib 1.Rhet c.2.*) quod ſi coniungantur, magnam vim habeant neceſſe eſt. Itaque ſi vel res propoſitæ, vel priorum ſuffragia omnia, Conſiliario minimè probanda ſint, hæc notabit, vt quæ dicturus eſt contra aliorum opinionem, id validis firmiſq; rationibus, & verborum compendio probandum ſibi ſciat. Et quoniam aliorum ſententia diluenda erit, pauci autem reperiantur, qui ſua improbari moderatè ferre ſoleant, omni verborum honore, & mitiſſimo dicendi genere vtetur, contentioſaſq; omnes voces fugiet: atq; eos loquendi modos, quibus ſe plus cæteris vidiſſe ſignificari poſſet, neq; tanquam certum & exploratũ idipſum, de quo agitur, proponat. Ea enim quæ conſultantur contingentia ſunt, omnia, inquit, Philoſophus, (*lib.3.Ethic 3.*) quæ veniunt in conſultationem, talia ſunt, quæ aliter accidere poſſunt: ſufficiat Conſiliario cõſcientiæ ſuæ ſatisfeciſſe. Quod ſi res, quæ conſultanda proponitur Conſiliario, clara videatur, vel anteriorum ſuffragijs ſatis examinata & pro-

(*Gabr.Paleot. de conſult. ſacri conſ. 4. q. 12.*)

probata,(*Paleot.d.c.*)resq́; celeritatem requirat,assensus per verbum,*placet*, vel *idem censeo*,vel *assentior* fieri debet. Valdè ineptum est ea repetere, quæ iam in medium allata fuerunt,(*Plutar.de garrulit.*) aut noua oratione actum agere,vel intempestiuis digressionibus audientium aures plus æquo onerare. Pericles antequã in publico verba faceret, optare solitus est, ne vllum sibi verbum à re alienum incideret. Reperiuntur præterea nonnulli,qui nihil explicitè pronunciãt: sed tectis, compositisq; verbis responsionem cõcipiunt, vt ad vtramque partem accommodari possit,more carminum sibyllinorum: idque faciunt,ne à maiorum gentium dijs dissentire videãtur:(*Paleot.5.q.5*) verùm quum conscientia eos in contrarium exstimulet, obscurè aliquid loquuntur: sed miseri non hisce nugis suspicionem euadunt, ne dicam culpam, quæ tantò grauior est, quantò dolus tectior putatur. Alij de industria sententiam suam sermonum tenebris inuoluunt, vt se admirabilia & paucis cognita enunciasse demonstrent: aut affectata prudentiæ specie sua abdunt, vt nihil difficiliùs sit. Alij prolixitate sua se intricant & inuolunt. Ab his & similibus censendi modis cauere sibi

sibi solet bonus Consiliarius : quin apertè potiùs, candidè & breuiter sententiam suam pronunciat : ita vt oratio neque confundat celeritate, neq; offendat tarditate. Et quandoquidem memoria eloquentiæ thesaurus est, & necessarium maximè vitæ bonum, vt eam Consiliarius à iuuentute exercuerit, postulo. Pythagoreos legimus vegetandæ exercendæq́; memoriæ gratia, quod quoque die dixissent, audiuissent, egissent, vesperi commemorare solitos : quem morem Ciceroni quoq; probatum videmus. Eloquentiæ linguarum subiungo cognitionem, qua ornatus esse debet Consiliarius, eorum præcipue populorum, quibus Princeps eius aut imperat, aut amicis vel hostibus vtitur. Adfert hæc cognitio magnum vsum ad quaslibet res commodiùs tractandas. Qui interprete vti coguntur, quæ proferunt, nec tàm grata, nec tàm efficacia esse possunt : vix poteris per interpretem affectus tàm benè mouere: vt omittam, multa esse verba, multos dicendi modos, qui suas energeias, & dicendi habent significationes, quæ alia lingua, ex tempore præcipuè, exprimi nequeunt: addo, quod qui vicaria alterius opera confidũt, sæpè decipiantur. (*Plutar. in Cat.*) Cùm Cen-

sorius

ſorius Cato pop. Romani nomine legationē apud Athenienſes obiret, quia Græcè tunc ipſe neſciebat, ea quæ habebat in mandatis, per interpretem expoſuit. Ibi quod ea quæ pauciſſimis verbis Cato dixerat, interpres vix longis ambagibus referret: Athenienſes orationum diſſimilitudinem mirati, Romanis ſermonem in pectore: Athenienſibus in ore naſci dixerunt. Tantum enim à genuina ipſius auctoris mente, cuiuſuis interpretis orationem diſtare iudicarunt: quantum inter cor & labra eſt interſtitium. Ideò Themiſtocles (*Plut. in Apophth.*) vnus totius Græciæ in rebus agendis acerrimus, atq; in conſilio capiendo dandoque callidiſſimus, cùm Athenis profugus, ad Regem Perſarum conceſſiſſet, animi ſui petitionem exponere noluit, priuſquam Perſicā addidiciſſet linguā: vt ſine interprete, quod plurimum referre arbitratus eſt, cum Rege loqui poſſet, & ſanè ſi veredarij etiam, tabellarij, nautæ, mercatores, & quicumq; ad faciendum quæſtum diuerſas gentes accedere ſolent, plures ideo linguas addiſcunt, vt ſuis potiùs, quàm alienis auribus ea excipiant, quæ petentibus reſpondentur: quantò magis magni principis Conſiliarius in id ſedulò eniti deberet. (*Ant. Mena-*

Menauinus & Guil. Post. de rob. Turc.) Turcæ licet barbarorum ferociſſimi, & à literis maximè alieni, cùm reipſa linguarum ſummā videant vtilitatem, quot linguas quis callet, totidem viris illum ęquiualere vulgato prouerbio dictitant hæc fuit ratio, quare Carolus IV. Imperator bulla illa aurea, quæ de Imperatorum electione agit, inter alia hoc quoque præcipiat: vt Electorum filij primis ab annis Latinam, Italicam & Illyricam addiſcerent linguam, vt ſermonem cum multis gentibus communicare poſſint. Poſtremò, quia, vt rectè Cicero, omnia ſub præſidio & tutela virtutis bellicę latent: & non tàm cum magnis Regibus amicitiæ iunctæ, neque fœdera cum gentibus finitimis inita, quàm rei bellicæ ſcientia & armorum potentia, Reipub. (*de Offic.*) ſtatum tutum & incolumem præſtant, rem etiam militarem didicerit Conſiliarius, requiro. Militiæ genera intelligat item ea, quæ ad peditum equitũque ordinem, diſpoſitionem aciei & diſciplinam ſpectant: cognoſcat locorum, montium, fluminum, vallium naturas, vrbium ſitus & ſimilia: quid crebriùs in conſiſtorio magnorum Principum, quàm conſultationes de bello, de exercitu, de caſtris, de ſigno-

rum

rum collationibus, de commeatu, de inſidijs faciendis aut vitandis, de muniendis oppidis, de cuſtodia artium, de prohibendis repentinis finitimorum hoſtium incurſionibus, agrorum populationibus, &c. Ideò pauci olim in ſenatum recipiebantur, quorum virtus non eſſet domi militiæque cognita: nullus autem, qui magiſtratus & honores in Republic. priùs non geſſiſſet, vt eſſet:

Paciśq; bonus belliq; miniſter.

M. Portio Catoni, de quo ante, nullam artem neque priuatæ, neq; publicę rei gerendæ defuiſſe ſcribit Liuius. (*lib. 39.*) *Vrbanas ruſticasq; res pariter callebat. ad ſummos honores alios ſcientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit. Huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit: vt natum ad id vnum diceres quodcumq; ageret. In bello manu fortiſsimus, multisq; inſignibus clarus pugnis. Idem poſteaquam ad magnos honores peruenit ſummus Imperator, idem in pace, ſi ius conſuleres, peritiſſimus: ſi cauſſa oranda eſſet, eloquentiſsimus.* Hiſce præſidijs inſtructi honores petituri, inquit Plinius, (*in Panegyr.*) adſiſtebant curiæ foribus & conſilij publici ſpectatores, antequàm conſortes erant. Quæ poteſtas referentibus, quod cenſentibus ius, quæ libertas,

vbi cedendum, vbi reſiſtendum, quod ſilentij tempus, quis dicendi modus, quæ diſtinctio pugnantium ſententiarum: omnem denique ſenatorium morem (quod fideliſſimum percipiendi genus) exemplis docebantur. Ad officium Conſiliarij tranſeo: quod primò in eo conſiſtit, vt Principem (*H. Oſor. de reg. diſc. lib. 8.*) ſuum, & Remp præcipuè, ſincero amore ac pietate debita proſequatur. Parum fuerit acutè perſpicere quæ facienda eſſent, ornateq; eloqui poſſe, ſi odium Reipub aut cupiditas nefaria tibi fuerit, quò minùs id quod ſentis exprimas. Erat olim apud Athenienſes lege ſancitum, vt quoties aduocata concione, populus de Repub. conſultabat, præco maxima voce diram cladem & exitium illi, & poſteritati eius imprecaretur, qui Reipub. inutile conſilium daret, ne ipſe incommodum aliquod ſubiret. (*Plut.*) Erant auté illæ execrationes quæ caput ciuis perfidi deuouebant tàm horrendis verbis ſcriptę: vt maximum metum omnibus, qui illas audiebant, incuterent. Sapienter enim intellexit, qui legem illam tulit, nihil eſſe acuto ingenio ſine fide, ſine Reipublicæ ſtudio, ſine patriæ caritate, pernicioſius. Exſtat apud Herodotum Ariſtidis (*in Vrania.*) oratio.

Cer-

Certare, inquit, nos oportet Themistocles, non priuatis simultatibus & odiis: sed vter nostrum meliùs de patria mereri, & plura in eam beneficia conferre possit. Admirabilis pietatis in Rempub. constantia fuit, quàm Q. Fabius Maximus patriæ præstitit. *Pecuniam* (scribit Valerius Maxi. *lib.* 3. *c.* 8.) *pro captiuis Annibali numerauit. ea fraudatus publicè, tacuit. Dictatori et Senatus magistrum Equitum Minutium, iure Imperij, aduersus leges æquauerat: silentium egit. Compluribus præterea iniurijs lacessitus, in eodem animi habitu permansit: nec vnquam sibi Reipub. permisit irasci, tàm perseuerans in amore fuit.* O indefatigabilem & sanctum amorem, quem vt non fucatè habeat Consiliarius, debet in limine consilij, odium in aduersarios, gratiam aduersus amicos, peruicaciam & arrogantiam ex se ipso exuere, & priuatos denique omnes affectus deponere: atq; ea solùm intueri, quæ ad Dei cultum, & Reipub. commodum spectant. *Omnes homines*, ait prudenter Salustius (*De bello Catil.*) *qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitia, ira atq; misericordia vacuos esse decet. haud facilè animus verum prouidet, vbi ista officiunt: neque quisquam omnium libidini simul & vsui paruit. vbi intenderis, ingenium valet si libido possedit, dominatur. Magna*

mihi

mihi copia est, memorandi P. C. qui Reges aut populi, ira aut misericordia impulsi, malè cōsuluerint: sed ea malo dicere, quæ maiores nostri contrà libidinem animi sui fecerunt, & quæ sequuntur. & alibi: *Animus in consulendo liber sit, neq; delicto, neq; libidini obnoxius.* qui sic? quia qui vitijs scatet, fieri non potest, vt vitijs non faueat, ne illa iudicando seipsum condemnet. *Suspectis*, inquit Tacitus, (*lib. ann. 12.*) *præfecti consilijs, quod pellicem regiam polluerat, inq; libidinem omnem venalis habebatur.* Sit igitur Consiliarius vir bonus, iustus & integer, cuius vita, vt ait Plinius (*in Panegyr.*) censura sit, eaq; perpetua, ad quam cæteri magistratus dirigantur, ad quam ij conuertantur, quibus non tàm imperio, quàm exemplo opus est. *Quis in cæno*, ait D. Ambrosius (*lib. 2. de offic.*) *fontem requirat? quis de turbida aquæ potum petat? quis vtilem iudicet caussæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? quomodo enim eum potes iudicare consilio superiorem, quem videas moribus inferiorem?* Exstat apud Agelliū AEschinis oratio, qua Timarchū de impudicitia arguit. *Quænam*, inquit, *Lacedæmonij ratio, aut quæ tandem spes erit, vrbem hanc, & hanc Rempub. saluam inexpugnabilemq; diutius esse posse, si huiusmodi anteactæ vitæ hominibus Consiliarijs vtamur?*

mur? quod si proba isthæc & honesta sententia est, quæso vos, non sinamus eandem dehonestari au-ctoris contagio.

Cùm Spartæ, Demosthenes quidam, homo intemperans, sententiam commodam dixisset, eam populus reiecit. Ephori autem sorte lecto cuidam senum eam dicendam dederunt, tanquam ex sordido vase in sincerum eam diffundentes, vt grata fieret multitudini. Tantum in vtramq; partem in Republica habet persuasio de hominis ingenio concepta. Virtutes (ait Philosophus) & mores ad persuadendum faciunt. Fundamentum perpetuæ commendationis & famæ, est probitas, fides, iustitia, sine quibus nihil potest esse laudabile. Prudentia omnis sine his est vana & mendax, & vafra quædã calliditas & versutia. Non igitur sit inuidus, non obtrectator, nullius odium grauius concipiat, nulli molestè nimis æmuletur, nullas inimicitias gerat, nullũ maledictis, nullum contumelia, nullum verbis vehementioribus, nec absentem, nec præsentem, prosequatur. Reperiuntur in sententijs dicendis nonnulli, (*Tacit. lib 1. histor.*) *qui consilij, quamuis egregij, quod non ipsi adferant inimici,* quum id, quod dicturi erant, videant ab ijs, qui

qui priores dixerunt, quasi præoccupatum: eosq; pudeat vel idem repetere, vel palàm in sententiam priorum ire, cavillos excogitant, correctiunculas addunt, & nodum, quod aiunt, in scripo quærunt: aut pręstigijs sophisticis aliorum sententias eludunt, & veritatem tenebris inuoluunt, ne cuiquam succubuisse, aut quicquam cuiquam cōcessisse videantur. Hos obseruet Princeps, viri enim boni non sunt: quorum est, aliorum rectas sententias candidè adprobare, licet ceteroqui auctores exosi sint. *Fides summa*, ait de quodam Cicero, (*de clar. orat.*) *& naturalis quædam inerat auctoritas: vt non caussam, sed vt testimonium dicere putare, quod ad sententiam dicendam aptum maximè videbatur.* Veritas inter alia Consiliario maximè amica esse debet, imò nihil peius ijs Consiliarijs, qui eam Principibus reticent: iuramento obstringuntur, se sententiam dicturos, & consulturos ex animi sententia, quæ meliora & vtiliora videbuntur: quòd si veritatem taceant, nónne periuri fiunt? At veritas odium parit, quid tum? qui tale metuit odium, non dignus est nomine Consiliarij (*Senec.*) *Odium qui nimium timet, regnare nescit.* Possumus interdum Principibus applaudere: possumus etiam illorum incom-

illorum incommoda, & contumelias nonnullas & ineptias, non modo perferre, ſed amanter etiam tegere: at in conſilijs & negotijs publicis, veritas nunquam reticenda.

Pſ. *Veritas ſimplex quibus eſt amori,*
10. *Hos amo, amplector, video libenter.*
His mihi ſeros ſocijs ſenectus
Impleat annos.

Cuius rei inopia, (quærit Seneca) (*Epiſt.*) *laborant magna faſtigia? quid omnia poſsidentibus deeſt? ille qui verum dicat.* & Plinius (*in Panegyr.*) *Vidimus* (ait) *curiam elinguem, in qua dicere quod velles, periculoſum: quod nolles, miſerum eſt,* & alibi: *quis anteà loqui, quis hiſcere audebat, præter miſeros illos, qui primi interrogabantur? ceteri quidem defixi & attoniti ipſam illam mutam ac ſedentariam aſſentiendi neceſsitatem, quo cum animi dolore perpetiebantur, vnus ſolus cenſebant, quod ſequerentur omnes,* & alibi laudat Traianum: quòd eo rogante ſententias liberè dicere liceret, vinceretque ſententia non prima ſed melior. Notanda illa apud Tacitum verba: *Per idem tempus L. Piſo Pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obijt: nullius ſeruilis ſententiæ ſponte auctor, & quoties neceſsitas ingrueret* (*lib. 1. annal.*) *ſapienter moderans.* & illa de Cn. Piſone: *Manebant etiam tùm veſtigia morientis*

 entis

uentis libertatis: igitur *Cn. Piso, quo, inquit, loco cēsebis. nam si primus habebo, quod sequar. Si post omnes vereorne imprudens dissentiam.* Octauio Aug. ob immodicas altercationes disceptantium, aliquando è curia per iram se proripienti, quidam ingesserunt, licere oportere senatoribus de Repub. loqui. Eidemque Antistius Labeo in senatu aliquando dixit: suum quemque iudicium habere. Et notum est illud Prisci Heluidij (*Arrian. in epictet. 1. lib. cap. 2.*) ad quem cùm Vespasianus misisset, ne in senatum veniret: Penes te, inquit, est, ne me senatorem esse patiaris, quàm diù autem me loco non moues, est in curiam mihi veniendum. Age, at ingressus taceto, inquit. Ne me roga, & tacebo. At est mihi rogandum: & mihi dicendum, quod rectum putauero. Verum si dixeris, occidam te. Quando ego tibi dixi, me immortalem esse? tu tuum facies: ego meum. tuum est occidere: meum mori non trementem. Quid prodest, rerum cognitione, earúmque vsu excellere, tùm salutaria studia, accensumq́ue bene operandi affectum intus enutrire, si, cùm tempus illius depromendi venit, animi deficit alacritas: & trepida-

Sueton. cap. 54.

Paleot. in conclus. membror. 4.

tio aut

tio aut suspicio, seu aliud quoduis obsistit impedimentum, quò minùs apertè sincereque id profiteatur, quod mente iam conceperat. Adde quòd eiusmodi adulatores sæpissimè ipsis etiam Principibus fastidium pariant (*Tacitus lib.3.ann.*) *Memoriæ proditur: Tiberium quoties curiâ egrederetur, Græcè in hunc modum eloqui solitum: O homines ad seruitutem paratos: scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tàm proiectæ seruientium patientiæ tædebat.* Quòd si quis tamen timidiore reperiatur animo, is à Principe erigendus. Solent boni Principes, cùm rem proponunt, alacritatem Consiliarijs ad dicendum inijcere, atque hoc testari, se id tantùm quærere, quod publicæ seruiat vtilitati: cùm verò sententiam audiunt, attentis auribus vultúque benigno, etiam postremos & infirmiores, audire, quis enim dubitat libertatem consulentium impediri, dùm liberè ipsis loquentibus Princeps irascatur, & libentiùs se audire ostendat, quæ placent quàm quæ prosunt. *Desperata eius Principis salus est, cuius aures ita formatæ, vt aspera quæ vtilia, nec quicquam nisi iucundum accipiat.* Cùm de frumento ex Sicilia Romam aduecto in senatu aliquando ageretur, an

Paleot.p. 597.

 gratis,

gratis, vili aut magno pretio plebi diuenderetur: inter alios M. Coriolanus exstitit, qui aduersus plebem grauem diceret sententiam: Nihil per largitionem populo tribuendum. his artibus petulantiorem ac lasciuiorem effici. satius hunc esse vel cariore annona domari ac reprimi, quò fieret modestior ex necessitate, & ad ciuilia munera obeunda paratior: agros hac iniuria, non seditiones colat. desidia, otio ac luxuria maximè, quæ ex copia & inerti abundantia nascitur, iura, leges, instituta negligi Patricia & aristocratica sententia: sed parùm popularis. Ideò Tribuni plebis, qui in senatu eam audiuerant, ad populum referunt, à quo sine mora dies Coriolano dicitur. Verùm quantum ad hanc accusationem attinet, licet populo infenso vteretur, eam facilimè diluit. Agnouit plebs, Coriolanum nihil præter officium fecisse. vbi enim loquéndi vlla licentia, si non in deliberando & dando consilio? Nemo igitur consilij sui post senatum rationem reddere cogebatur. Rectè: etsi enim aliud consilium alio melius interdum sit: omnium tamen Consiliariorum eadem mens præsumitur, vt pro salute Reipublicæ

Dionys. Halicarn. lib. 7. Liuius lib. 2. Plin. de vir. illustr.

blicæ

blicæ dicant : quemadmodum in naui, alij sæpè velificatione, alij remigatione vtendum censent, sed omnium idem scopus. Fuit nihilominùs Coriolanus postmodum, sed aliis de caussis, quòd à tribuno vocatus venire recusasset, lictores pulsasset, cõdemnatus. Cùm itaq; Princeps (vt vnde digressi sumus, reuertamur) vultu ipso *Agel.lib.14.cap.10.* iracũdiam, aut seueritatem acerbam ostendit: non dubium est Consiliariorum animos magna ex parte debilitari & frangi. pauci admodum reperiuntur, qui, cùm se Principem ægrè audire in- *Plut. de disc. amici & adult.* telligant, libenter loquantur. Patienter igitur Princeps sententiam, quamuis liberam, audiet, neminem interrumpet: memor, ius olim senatori apud Romanos fuisse, quàm diu vellet orationem trahere : adeò vt nonnullos horas septem, alios verò dies totos con- *Alex. ab Ale. lib. 4.cap.11.* cionem in senatu habuisse tradant. *Finemq; sermonis, suus cuique pudor, non tua superbia facit*, ait ad Traianum Plinius. Philippidem Atheniensem comicum summa beneuolentia comple- *Plutar.in Demet.* xus est Lysimachus Rex, nulla alia de caussa, nisi quòd liberè loqueretur, & ex animi sen-

 tentia,

tentia, proculque ab adulatione vitam probam & modestam ageret. Dicere solebat Hiero, Geleonis in tyrãnide successor, (*Plutarch. in apoph.*) neminem, qui liberè loqueretur, sibi importunnm esse. Moderationis tãtæ fuit Alexander Seuerus, (*Æl. Lampridius in Alex.*) vt non solùm nemo vnquam ab eius latere submoueretur, omnibusq́ue se blandum affabilemque præberet: sed etiam vt sibi ab omnibus, quæ sentiebant liberè, dici cuperet: & quod dictum esset, audiret, & quum audisset, ita vti res poscebat, emendaret: si minùs benefactum esset aliquid, etiam ipse conuinceret, idque sine fastu & sine amaritudine animi. Cum Tacito igitur consiliarium moneo: (*lib. 1. histor.* *ne cum fortuna potiùs sui Principis loquatur, quàm cum ipso.* *Tacit. lib. 1. annal.* *Interrogatus à Tiberio Messala Valerius, num se mandante sententiam suam promsisset, sponte dixisse respondit: neque in ijs, quæ ad Rempub. pertinerent, consilio, nisi suo, vsurum.*

Seneca.

——iusta, qui reges timet,
Deponat, omne pellat ex animo decus:
Malus est minister regij Imperij pudor.

Principem verò, ne iis (*Tacit. lib. 2. annal.*

fidat

fidat, *quibus omnia Principum honesta atque inhonesta laudare mos est.* Duo hîc extrema Consiliario vitanda: alterum, ne loquendi libertatem cum audacia & immodestia confundat, & inani iactatione libertatis, famam fatúmque prouocet: quod fit, quando quis in propria obstinatus sententia, non veretur specie vtilitatis & veritatis, verborum aculeis alios mordere, crimina detegere, maledictis famam proscindere: quæ petulantia potiùs & scurrilitas, quàm loquendi libertas vocanda est. nam vera libertas bonum tantùm publicum respicit, *Falsò libertatis vocabulum obtenditur*, ait Tacitus, (*lib.16.annal.*) *ab ijs, qui priuatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent.* Qui hac libertate vti vult, vt monet Quintilianus, (*lib.11.cap.1.*) debet rei, loci, temporis & personarum rationem habere, vt & sui ipsius. Maior libertas, diu in senatu aliquo versatum decet, quàm recens admissum. Modi item ne clamore, vel alio corporis habitu, iræ vel alterius perturbationis suspicionem moueat, & nihil arroganter, nihil proteruè, nihílque ad ostentationem proferat: neque acerbis facetijs (*Tac.l.an.5.*) delectetur, quin potiùs illius meminerit, acerba-

cerbarum facetiarum apud præpotentes in longum memoriam esse. Alterum extremũ est, cùm quis sub libertatis specie assentatur, *Adulationi fœdum crimen servitutis: malignitati falsa species libertatis inest.* (*Tacit. lib. 1 histor.*) Exemplum istius adulationis apud Plutarchum exstat: (*de discr. amic. & adul.*) *Audi, Cæsar Tiberi, in quo te reprehendimus omnes, licet nullus audeat palàm facere, impendis te ipsum nobis, corpus tuum diurnis nocturnisque laboribus, & curis pro Repub. conficis.* istud æquè detestandum, sed priore extremo magis noxium. Et quandoquidem non dormientibus, sed vigilantibus & laborantibus prudentia infundi solet: (*l. quod autem. §. apud Labeonum. l. pupillis ff. quam in fraud. max. cred.*) consiliarium conuenit, in consilio quidem attentissimis auribus omnia, quæ quisque loco suo dicit, & quibus argumẽtis ea corroboret, excipere, ne in respondendo vel minimum aberret: qua in re quantum situm sit, ostendere volens Lycurgus (*Plut. in vit. Lyc*) ne vllæ picturæ in locis, ad consilia destinatis, haberẽtur: constituit, ne scilicet consiliariorum cogitationes distraherentur: sed totæ in rebus deliberandis defigerentur. Extra consilium autem diligentissimus erit meditando etiã,

legen-

legendo, disserendo, finem cuiuslibet rei considerando, sed & singulares rerũ circumstantias, & contingentia varia in humanis actionibus perpendendo: quæ practica cognitio est, quia ipso perficitur actu, atque hæc rebus administrandis, populorumq; gubernationi maximè prodesse solet. (*Plut. in moral.*) Curiositas hominum ex omni genere signa collegit instantis tempestatis, at multò magis conueniebat Consiliario, hac vti diligentia in consultationibus, vt obseruatis experimentis coniiciat, quid malorum ex vno quoque perperàm constituto consequatur, & quænam caussæ impedimentorum, vt oculi ijs rebus, quæ prouideri queunt, adiiciantur. Et quandoquidem incommoda multa, ex ignorantia eius Reipub. cui inseruit Consiliarius, quamq; curãdam suscepit, nascuntur: omnia illius Reipub. etiam minima scire tenetur, plurimum igitur studij & diligentiæ ponet ad ea omnia cognoscendá, quę ad principatum, in quo est, spectare videtur: consideret ipsius naturam, populi, subditi & vicinorum: alia veterem & firmatum, qui inuidiæ & seditioni minùs expositus est, decent: alia Principatum nouum: alia vi quæsitum, vel successione vel electione.

Metiri sua regna decet, viréſque fateri.

Rectè Seneca: (*de tranquill. vitæ*) *Multi dum se tàm magnos quàm audiunt, credunt, attraxêre ſuperuacua, & in diſcrimen rerum omnium peruentura bella.* Principem etiam, & aulam cognoſcet, ex omni parte, vt & cæterorum adminiſtrorum & conſiliariorum naturam, mores, omnem denique adminiſtrationem. quæ, quantáque ſit omnis ditio Principis, quæ prouinciæ, ciuitates, oppida, loca, illi ditioni ſubiecta ſint: prouinciæ verò ipſæ quot milia paſſuum habeant in longitudine, quot in circuitu. Locorum, inquam, ambitum, ſitum etiam: vtrum montibus, mari, flumine, vallo, foſſa, lacu munita ſint, quæ eorum opportunitates, & an commeatu prohiberi poſſint. an ſit vbertas vel inopia rei frumẽtariæ. Quidnam in Principatu controuerſum, & cum quibus, quibus de cauſſis, quæ ratio prouinciæ adminiſtrandæ, quibus rebus delectentur ciues, quibus ſe ſuſtentent, quomodo ergà Principem affecti: quódnam vectigal eorum, quæ euehuntur & inuehuntur: portoria vocabant veteres, ex paſcuis agrorum publicorum, ex ſale, vino,

Ariſtot. lib 1. Rhetoric. c. de rebus, de quibus conſilium agitur.

no,oleo,frumento, ex mercatura, ex ſubditorum tributis. hæc enim oſſa ſunt & nerui Principis:quòdnam ærarium, an ſubditi nimijs tributis, vectigalibus, aliiſve oneribus premantur, an mercaturæ ſtudio teneantur, an opibus abundent: quantus militum numerus in qualibet prouincia conſcribi poſſit: quænam Principis familiæ origo, quæ coniunctiones, affinitates & amicitiæ, quæ fœdera, & quid ex ijs ſperandum, quorumnam partes Princeps defendendas ſuſceperit. Et ad ſummam in omnia, etiam minutiſſima, quæ neglecta Reipub. detrimento eſſe poſſunt, omne ſtudium, curam, cogitationem & ſolertiam conferet. *Qui vulgi naturam nouerant*, ait Tacitus, (*lib. 2. hiſtor.*) *& quibus modis temperanter haberetur, ſenatuſq; & optimatium ingenia perdidicerant, callidi temporum & ſapientes credebantur. Verùm quid fieri oporteat in vniuerſum*, monet prudentiſſimus vir, (*Epiſt. 22.*) *aut quemadmodum: ex longinquo nemo ſuadebit. Cùm rebus ipſis deliberandum. vigilantis eſt captare properantem occaſionem.* Morus nouiſſima omnium arborum germinat, & tamen parit inter primas: ita qui tempus idoneum rei conficiundæ opperiuntur, (*lib. 15. cap. 24.*) etiamſi ſerius ceperint,

perint: maturius tamen conficiunt. Quare plerosque magnorum virorum videmus, occasione prudenter captata, ad eam peruenisse magnitudinem. Consuêrant Pontifices Romani, si quid mali ab externo hoste immineret, opem Constantinopolitanorum Imperatorum implorare, ob quorum negligentiam quum vrbs & Italia tota deuastaretur (*P. Æmyl. l. 2.*) Carolus Magnus à Leone III. Pontif (vt nonnullis placet) vocatus, occasione illa prudenter suorum consilio captata, Ecclesiæ Romanæ patrocinio in se suscepto, Imperium simul in se, posterosque suos transtulit. Pari ratione excitante Romano Pontifice Gallos ab bellum Neapolitanum, Carolus Andegauensis occasione nô neglecta, Siculo etiam, non solùm Neapolitano regno potitus est. Alphonsus Arragonum Rex à Iohanna R. Neapolim vocatus, tàm idoneam occasionem non contemnendam ratus: regnum illud, magno Neapolitanorum applausu, Pontificeque consentiente, adeptus est. Possent innumera alia exempla adduci: sed hæc sufficiant ad consiliarij diligentiam in captandis occasionibus excitandam, vbi magna prudétia opus est. Quæ-

Iou. l. 1. hist.

Pand. Col. len. lib. 6.

ri hoc

gi hoc in loco poteſt, num conſiliarius tàm diligens eſſe debeat, vt etiam nō requiſitus, Principi, vbi res poſtulat, conſilium ſubminiſtrare teneatur? Dubium mouet mos inueteratus poſtulandi conſilium: & quòd is, qui conſilio dādo ſe ingerit, curioſus videatur: quin etiam ſuam cenſeatur prudentiam maioris facere, quàm Principis & aliorum Conſiliariorum. Vt igitur non eſt boni medici, ſe, cùm vocatus non eſt, intrudere ad ægrotum: ſic nec Conſiliarij ad Principem. Verùm hiſce non obſtantibus exiſtimant doctiores, in rebus magni momenti, poſtulante neceſſitate, eum quod ſibi videatur, etiam non rogatum, Principi ob bonum publicum denunciare debere: atque id à Romanis etiam ſenatoribus obſeruatum fuiſſe, vt neceſſitate vrgente vltrò poſtularent, vt ſibi de Repub. dicere liceret, non dubium eſt. *A maioribus*, ait Tacitus, (*lib. 2. annal.*) *conceſſum egredi aliquando relationem, & quod in commune conduceret, loco ſententiæ promere.* & alio quodā in loco. (*lib. 13. annal.*) *licebat patribus, quoties ius dicendæ ſententiæ accepiſſent, quæ vellent expromere, relationemq; in ea poſtulare.* Vnde Cato (*Plut. in Cat.*) etiam cùm de aliis rebus conſuleretur, omni ſenatu cenſere ſe dicebat, delen-

delendam esse Carthaginem: *Consurgit Scaptius*(apud Liuium) *& si licet, inquit, consules de Repub.dicere*, vt alia omittam loca, quæ tamen tum demùm rectè fieri existimo, si consiliarius priùs diligentissimè & diu multumque secum rem proponendam examinârit, ne fallatur, quod ridiculum esset: deinde etiam omnes circumstantias, An antea simili de caussa cum Principe loquutus sit, an tempus, locus & rerum status id requirant, an res opportunius differri possit, an ipsemet Consiliarius Principi gratus & acceptus sit: an per alium id commodiùs fieri posse existimet, an alij tale quid tentârint, & quo successu. Ad obiectiones autem dupliciter respondetur: primò non esse curiositatem, sed vigilantiam, si quis debita moderatione ea inuestiget & proponat, quæ sui officij sunt. Deinde quamuis Princeps à Consiliario consilium non petat: id tamen Rempub. facere, quæ necessitate vrgetur, & eo ipso satis interpellat, subsidiumque Principis loco postulat. Altera quæstio hîc tractari potest: Si Consiliarius in Consistorio consilium aliquod tractatum iri sciat, cui salua conscientia assentiri nequit, an si eo die domi se

Paleot. 1. q. 6. sub finem.

con-

contineat, officium suum minùs diligenter & fideliter fecisse dici possit. Dubitandi caussa est, quia tutius est in senatum non venire, quàm in aliam trahi sentētiam, & aduersus conscientiam agere: adde quòd is culpa carere videtur omni, qui in tam iniquam rem non consensit. Sed contrarium ex superioris quæstionis decisione elucet. nam si & non rogatus, publici boni caussa, consilium dare Principi meo teneor: multò minùs salua fide effugere occasionem potero ne roger. Tantum igitur abest, vt hæc sit (*Paleot.5.q.8.*) legitima absentiæ caussa, vt Consiliarium contrà eò magis vrgere deberet senatum eo die adeundi. Occasio enim rerum grauiorum veros a cæteris distinguit Consiliarijs, illi enim, quò periculosiora instant negotia, eò magis se ad ea, & iuuandā Rempub. accingunt: hi vrgentibus vel minimis difficultatibus, libenter se ab eis subducunt. Vetus illud est SENATORI QVI NEC ADERIT, AVT CAVSSA, AVT CVLPA ESTO. De Catone pdicat Plutarchus, (*in eius vita*) eū in senatū, quoties haberetur, semper venisse, Verebatur. n. ne quid se absente per gratiam

Fe.in. ade. quod super de maior. & obedientia.

Cicero lib. 3. de legibus.

gratiam fieret. *Boni senatoris est*, ait Cicero, (*pro domo*) *semper in senatu venire*. Essetne quæso militis nomine dignus is, qui in certamen descendere iussus, id ob euidens periculum detrectaret & fugeret? *Fugit*, ait vir sanctus, (*D. Gregorius hom. 14. in Euang.*) *non tantùm qui mutat locum, sed & qui subtrahit solatium: fugit, qui se sub silentio abscondit: fugit, qui tacet, cùm resistere deberet.* Nec Consiliarium moueat, quò se in sententia propria solum futurum, ac se proinde frustra in senatum venturum existimet, nam vt omittam, hanc absentiæ non esse legitimam caussam: quoties quæso factum videmus, vt vnus cæteros omnes à se priùs dissentientes, argumentorum vi ad se traxerit, sed demus non fieri, at sanè hoc sufficiet, officio satisfecisse, vt liber sit & sibi probatus, ait Tacitus, (*Annal. lib. 1.*) Ex his dilucidè apparet, quid ei quęstioni respondendum sit. Si Consiliarius priorem sententiam non probet, an (quia puta ostensionem metuit) tacendo, & capite annuendo muneri suo satis faciat. Quamuis enim dici soleat, eum, qui tacet in rebus, quæ noxiæ esse possunt, non haberi pro consentiente. id tamen hoc in loco non obtinet, vbi manifestè annuere eum appa-

Grimald. l. 1. Robbius.

ret.

ret, alioqui clarè dissentiret, & dissensus sui caussam adduceret. quinimò dicendum, eum dupliciter peccare assurgendo vel annuendo, & sic consentiendo & tacendo, quando maximè loquendi tempus fuerat *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi*. Pergo ad reliqua, quæ Consiliarij officium respiciunt, vt scilicet occultas & sibi concreditas res nullo modo diuulget Nam si, qui amici consilium de priuata re aperit, omnium odio meritò dignus habetur: quo odio dicemus illum dignum, qui Principis sui consilium de Reipub. salute, de propria dignitate, de publico officio, contrà tàm sanctè datam fidem, magno magistratuum contemptu & damno euulgat? ideo consilium veteres à silendo dictum putârunt, quo maximè inuenitur, ait Festus, & senatus consulta illa tacita vocabant. Lex Ægyptiorum iubebat abscindi illi linguam, qui arcana Reipub. quæ tecta esse debebant, detexisset. Iurisconsulti consiliorum publicorum enunciatores, vt transfugas viuos exuri, & furcis suspendi debere statuerunt. Dixi arcana: nam multa in

Iac. 4.

Cap. in Gordianis. Festus in V. consilium. Diodor. Siculus. l. 38. §. transfugæ. ff. de pœnis.

ta in ſenatibus tractari ſolent, quæ arcana non ſunt, & à Conſiliarijs prudenter narrari poſſunt: talia ſunt ea, quæ morum reformationem, religionis ampliandæ ſtudium, & principis vigilantiam in genere teſtantur, & ex quorum relatione neque ſcandalum vllum timendum, neque damnum. Catoni inſigne illud reddidit Tullius: eum nullum vnquam verbum emiſiſſe, quod emiſſum doleret. Q. Fabium Maximum à conſulibus grauiſſimis verbis obiurgatum legimus, ſed ipſa Valerij Maximi *lib.2.c.1.* elegantiſſima verba referam: *Adeò magna patriæ caritate tenebantur (inquit) vt arcana patrum conſcriptorum multis ſeculis nemo Senator enunciârit. Q. Fabius Maximus tantummodò per imprudentiā de tertio bello Punico indicendo, quod ſecreto in curia actum erat, P. Craſſo rus petens domum reuertenti, in itinere narrauit: memor eum antè triennium quæſtorem factum, ignoranſq; nōdum à Cenſoribus in ſenatum lectum, quo vno modo etiam ijs, qui honores geſſerant, aditus in curiam dabatur: ſed quamuis honeſtus foret error, vehemēter tamen à Coſſ. obiurgatus eſt. Nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutiſsimum adminiſtrandarum rerum vinculum, labefactari volebant.*
Pompeij probabilis virtus, qui *Valer. Max.*
dùm

dùm legationis officio fungeretur, à Gentio Rege interceptus: cùm senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ digitum cremandum præbuit, eáq; constantia regi simul & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excussit & expetendi. *lib.3.c.3.* Apparet ex postremo hoc exemplo, Consiliarium animo etiã magno & forti præditum esse debere, ne in consilio dando vel reticendo, Principis aut aliorum pertimescat offensionem, qui paruo animo est, timet: qui verò timet, aut laborem fugit, aut vitæ pericula formidat, aut pecuniæ sumptus extimescit: *Osor. de reg. inst. lib. 8.* quibus rebus in Repub. nihil perniciosius. Qui laborem fugit, nihil expedit, procrastinat negotia, aut ea perditis fortè hominibus administranda relinquit, & negotia negotijs accumulat, qui pericula formidat belli, vel alia, is hostium vires & audaciam confirmat, is nunquam suadebit, vt milites ad tutelam patriæ accipiantur, vt illata contumelia vindicetur, vt vis vi cohibeatur. huic denique metus rectum sanumque consilium ademit, & veritatem sæpè occultare cogitur. *Tacitus lib. 3. annal.* Pauidis (ait ille) *consilia in incerto*. Ideò Deus volens

Rem-

Rempub. perdere Israëlitarum, ipsis non tantùm reges pueros; sed etiam effœminatos Consiliarios minatur. Metellus cùm animaduerteret, quò tenderent conatus Tribunorum plebis, quantoque malo Reipub. si non occurreretur illis, erupturi essent, in exilium ire maluit, quàm in eorum leges. *Potéstne,* subiungit Valer. Max. (*lib.8.c.8.*) *hoc viro aliquis dici constantior? qui ne sententia sua pelleretur, patria, in qua summum dignitatis gradum obtinebat, carere sustinuit.* Sylla occupata vrbe senatum armatus coëgerat, ac summa ferebatur cupiditate, vt Marius hostis iudicaretur: cuius voluntati nullus obuiam ire audientibus, solus Scæuola interrogatus, sententiam hac de re dicere noluit, quin etiam truculentius sibi minitanti Syllę: *Licet, inquit, mihi agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes: licet mortem identidem minitêris, nunquam tamen efficies, vt propter exiguum senilemq; sanguinem meum, Marium, à quo vrbs & Italia conseruata est, hostem iudicem.* Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa difficultate.

Mich. Hospi. ad Franc. Oliuarium.

Nam fortes animi prorsus nihil ista morantur.

Quæ

Quæ sunt fluxa, caduntq; citò & mutantur in horas.

Non illos aurum, non spes, non gratia flectit,

Non metus, erecta circum fora fronte vagantur.

Introeunt aulas venerandi Regibus ipsis.

Hæc ita intelligenda, quod & paulò antè attigi, vt nihilominùs reuerentiæ Principibus debitæ non obliuiscamur. Cautè igitur & circumspectè fortem & intrepidum esse oportet, ne fortitudo in neruum erumpat. Non sunt contraria, summa reuerentia & obseruantia Principem suum colere, & nullo metu ab officio discedere. *Quisquis metu alicuius potestatis*, ait D. Augustinus (*Epist 86. ad Casul.*) *veritatem occultat, iram Dei super se prouocat: quia magis timet homines, quàm creatorem.* Porrò, quæ de fortitudine & constantia diximus: non ita intelligenda, vt sententiam Consiliario mutare non liceat. Demens enim est, qui in errore perstat, ex caussa igitur superueniente mutare consilium prudẽtis est: præstat mutare in melius, quàm in malè ceptis pergere, sed nec propositum infringere eum iudicant canones, qui in melius commutat. it quidem alio gradu. *Cap. 3. de iur.*

gradu, sed non alia via. Medicus quidam ægro medicamentũ dare iusserat, id congruẽs ratus. sed re maturiùs deliberata, noxium reperit. Dicemusne hîc Medicum sententiã priorem mutare non debere? Nequaquam. Eadem est Consiliarij ratio, qui consiliũ vtilitatis publicæ caussa mutare tenetur. Nec est quod leuitatis notam timeat. *Nemo enim doctus* (ait Cicero) *mutationem consilij inconstantiam dixerit.* & alibi: *Nunquam præstantibus in Repub. gubernanda viris, laudata est in vna sententia perpetua permansio.* Quemadmodum enim in nauigando tempestati obsequi artis est, etiam si portum tenere nequeas: cùm verò id possis mutata velificatione assequi, stultum est cum tenere cũ periculo cursum, quem ceperis, potiùs quàm eo mutato, quò velis tandem peruenire. Sic omnibus in administranda Repub. idem propositum esse debet: Non idem semper dicere, sed idem semper facere (*Paleot. pag. 8. q. 6.*) Verùm demus, in consilij mutatione inconstantiam aliquam subesse, nonne Consiliarius, qui suo honori Reipub. salutem antefert, eò magis laudandus? notum est illud de Fabio:

l. nonnunquam ff. de coll. bonorum. l. 1. officiorum. leg. 1. Epist. penult.

Non

Non ponebat enim rumores ante ſalutem. De hoc ſatis ferè diximus. Ad munus etiam Conſiliarij ſpectat, auaritiam fugere, & beneficentiæ ſtudere. Hinc Polybius Africanum ſuum crebrò monebat, ne priùs è foro domum reuerteretur, quàm beneficijs aliquem, vel ex ijs qui occurriſſent, ſibi deuinxiſſet. Sicut radix omnium malorum eſt cupiditas habendi: ita radix omnium bonorum eſt charitas & beneficentia. De auaritia Senatorum audiamus Saluſtium: *Multò maximum bonum patriæ, ciuibus, tibi, liberis, poſtremò humanæ genti pepereris, ſi ſtudium pecuniæ aut ſuſtuleris, aut quoad res feret, minueris: aliter neq; priuata res, neq; publica, neq; domi, neq; militiæ regi poteſt. Nam vbi cupido diuitiarum inuaſit, neque diſciplina, neque artes bonæ, neque ingenium vllum ſatis pollet, quin animus magis aut minùs maturè, poſtremò tamen ſuccumbit.* & paulò infrà: *Ceterùm auaritia bellua fera, immanis, intoleranda eſt: quò intendit, oppida, agros, fana atq; domos vaſtat, diuina cum humanis permiſcet, neque exercitus neque mœnia obſtant, quò minùs vi ſua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria atque paren-*

(*Plut. lib. 4. q. conuiual.*)

(*Cā. quia radix, de pœn. diſtinctione 2 de Repub. adminiſtr.*)

parentibus cunctos mortales spoliat. M. Crassum, quinque eaque maxima habuisse scribunt, quòd esset nobilissimus, quòd eloquentissimus, quòd iurisconsultissimus, quòd Pontifex maximus, quòd ditissimus Quiritũ post Syllam. At omnes has virtutes & fortunæ bona auaritiæ sordes obscurârunt (*Plut. in apopht.*) Dicebat Demosthenes, si res priuata publicam non auertat, tolerari aliqua ratione posse, vt Consiliarij ditescant, & incremẽti participes fiant: verùm, quia vt plurimùm videmus, quò magis res eorum augentur, qui publicis muneribus præsunt, eò magis Rempub. minui, cauendum esse. (*Esa. 44*) *Væ pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos: oues autem dispergunt, neq; pascunt.* *Factio,* ait Liuius, (*lib. 2.*) *& respectus rerum priuatarum, semper offecere, officientq; publicis consilijs.* A decoctoribus etiam & prodigis Consiliarijs, æquè ac auaris cauendum censeo. *Consiliarijs vtere ijs,* ait Basilius, (*ad filium*) *qui rebus proprijs benè consuluerunt, rectèq; eas administrarunt: non autem ijs, qui per imprudentiam malè. Nam qui suis rebus malè prospexerit, numq; alienis benè cõsulet?* (*l. 2. offic.*) Maxima cautio in liberalitate adhibenda, ait Cicero: non adeò claudi rem familiarem oportet, vt eam benignitas non

ape-

aperiat: nec item reseruari, vt pateat omnibus. Cæterùm liberalitatẽ comitantur morum facilitas, comitas & humanitas, misericordia, ergâ proximum beneuolentia & hospitalitas. Condimentum humanæ conuersationis est humanitas & popularitas. Sit igitur Consiliarius aditu etiam alloquioq́ue facilis, neminem exspectando fatiget, verecundos & timidos erigat, ciues pariter & exteros summa beneuolẽtia audiat, nullorum preces fastidiat, facilis sit in salutando & cõpellando ne de ipso dici possit, difficilius esse famulum alloqui, quàm dominum. fiet hac ratione, vt non solùm muneri tanto satisfaciat: sed omnium etiam beneuolentiam sibi conseruet Marcum Crassum laudant, quòd (*Plut. in Crasso*) nulli ciuium, vnquam patrocinium suum non lubens impenderit, nullum in via non salutarit, atq; vnus omnium popularem fecerit auaritiam, ex qua nemo antea gratiam reportauerat. Solent magni viri gloriæ stimulis plusquam satis est, sæpè incitari, vnde superbia, & aliorum contemptus nascitur. contemptor animus & superbia commune nobilitatis malum, ait Salustius Quare consiliarium crebrò cogitare ve-

(de bel. Iug.

Tacit. l. ann. 1 & 11.

lem; *Cuncta mortalium incerta,* *Tac.l.4.hist.* *quantoq; plus adeptus sit, tantò magis se in lubrico esse: & illud quoque modestiæ famam neq; summis mortalium spernendam, & à Dijs æstimari.* Rectissimè ille, qui Prisco suasit, ne supra Principem scanderet, nam quemadmodum pessimis imperatoribus, sine fine dominatio: ita quamuis egregijs modus libertatis placet. Notanda Archidami verba. Scripserat ad ipsum Philippus, parta victoria ad Chæroneam, superbiùs & asperiùs. Rescripsit itaque Archidamus hæc inter alia: *Si tuam ipsius vmbram rectè metiaris, eam vnico pilo maiorem haud reperies, quàm ante victoriam.* Socrates Alcibiadem opibus & prædiis nimis superbientem, ad suspensam tabulam Geographicam (*Ælian.lib.3*) cùm duxisset, ab ipso vt Atticam in ea quæreret, petijt: quam cùm reperisset, sua etiam prædia inspicere præcepit, quæ cùm Alcibiades nusquam reperiri diceret: Cur igitur, subiunxit tunc Socrates, ob illa superbis, quæ circà nullam terræ partem existunt. Superbia etiam in Principibus odiosissima est: sed in priuatis fastidienda & molestissima, quam etiam Deus summè odit. *Quemadmodum fulmen*, ait apud Stobæum Herodotus (*Serm.20.*) *eminentia*

quæuis

quauis & celsissima deijcit: parcit autem arbustis. sic Deus superbos vbique prosternit, amat humiles. Poppæus Sabinus, ait Tacitus, (*lib. 6. annal.*) vita concessit, modicus originis, Principum amicitia consulatum, ac triumphale decus adeptus, maximisque prouinciis per quatuor & viginti annos impositus nullam ob eximiam artem, sed quòd par negotiis, neque supra erat. Atque hæc quidem de Consiliario nam quæ de cognitione Metaphysices, Musicæ, Poëseos, & de ornatè scribendi peritia: item de consiliarij familia & diuitiis, de corporis constitutione, de ornatu & vestitu, de facetijs & salibus, aliisque similibus dici possent: consultò à me omissa fuere. Nunc quia non sufficit rectè consulere, nisi recta consilia Princeps amplectatur, atque non minoris sit sapientiæ, inter varia multorum consilia, quod optimum sit, discernere, atque exsequi, quàm ad rem consulere, vnde Cicero: *In consilio capiendo prudentia, in dando fides etiam requiritur & religio:* fit sanè magno cum Reipub. detrimento, vt Principes, qui sibi suoq; iudicio nimium tribuunt, hallucinentur. Ptolemæus Ægypti Rex, ex quadam cum ciuibus suis offensa. Alexandria relicta, Romam

venerat, vt à Pompeio & Cæſare reduceretur (*Plut. in Catone.*) Conſultus hac de re Cato, eum liberè reprehendit, quòd relicta tanta felicitate ingentibus ſe obiiceret indignitatibus, laboribus, largitionibus, & auaritiæ Principum Romanorum. conſuluit autem, vt cum ciuibus ſuis rediret in gratiam. ſed ſpretum hoc fuit conſilium. Vt primùm autem ad fores vnius acceſſit in magiſtratu poſiti, defleuit inconſulta ſua cepta, quòd non tàm boni viri, quàm ipſius Dei faſtidiſſet oraculum. Annibal cùm ad Antiochum in Aſiam profugiſſet, eum de bello in Italiam transferendo ſollicitare cepit, (*Liuius lib. 34.*) Italiam ſubdens & militem & commeatum externo militi præbituram. Cuius conſilium ſi Rex ſecutus fuiſſet, Romanis de quod non multò pòſt, quum Rex, bello Italia retinenda denuò timendum fuerat, Theſſalis illato, à Romanis victus eſſet, ſerò tandem vnum Annibalem, quid facto opus fuerit, præuidiſſe, faſſus eſt. *Sæpè audiui*, ait Liuius, (*lib 36.*) *eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quod in rem ſit ſecundum eum, qui benè monenti obediat: qui neq; ipſe conſulere, neq; alteri parere ſcit, eum extremi eſſe ingenij. Nobis quia prima animi ingeniiq; ſors negata eſt,* (*lib 22.*) *ſe-*

ſe-cun-

cundam & mediam teneamus, & dum imperare discimus, parere prudenti, in animum inducamus. Verùm & in aliam peccatur partem. Accidit sæpenumerò, vt qui in ipso negotio cõsilium capere cogitur, dubitet, timeat, & (vt Cæsar ait) deficere eum omnia videantur, atq; sic non rectè iudicando consilia, dum alteri paret, decipiatur, & in insidias deducatur: quod Guicciardinus in Petro Mediceo, consilium à Venetis (qui proprio suo scopo inseruire conabãtur) petẽte notauit. *Iornand. lib. rerum Goth.* Sed exstant & alia, vt consiliũ quod Thorismondo Theodorici VVestgothorum regis filio Ætius Valentiani Imp. dux dedit: item consilium Ludouici Sfortiæ, quo Gallorum Regem ad Neapolitanã (*Guic. lib. 1.*) expeditionem contra Arragonios traxit. Magnum igitur iudicium adhibendum non solùm in eligendis cõsiliarijs, an scilicet ijs, de quibus antè, præsidijs instructi sint, an magistratum aliquem gesserint, & an in eo rectè administrando, operam, fidem, præstiterint, an alicuius factionis Principes sint, ne iustitiæ specie priuatã vindictã armis publicis quærant: sed etiam in sequendo consilio

Vt caueat vitetq; dolos, & praua suorum
Consilia, vt monitis addat melioribus aurem.

 Rerum

Rerum humanarum, ait Aristoteles, (*in epist. ad Alex.*) augustissimum est, consultatione vti, quare pro virili elaborandum, vt ipsam consultandi artem teneas. Notanda Muciani oratio ad Vespasianum: *Tacitus lib. 2. hist.*) *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reipublicæ vtile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu: aut certè, non arduum sit; simul ipse qui suadet considerandus, adijciat ne consilio periculum suum, & si fortuna ceptis affuerit, cui summum decus acquiratur.* Diligenter igitur perpendet consulens, num quod tractatur, vel per consequentiam consiliarium attingat. in propria enim caussa omne consilium suspectum, quia rarò sanum: an quod consulitur honestum sit. ab honesto enim si deflectat, malum est: an principaliter ad vtilitatem Reipub. pertineat, an verò priuatam quoque vtilitatem intueatur: audiat patienter quæ à contrarijs partibus & disparibus suffragiis dicta erunt, rationibusque firmata notabit. si res difficilior videatur, meliùs deliberet, si res in aliud differat tempus. Aut fer sententiam, ait Seneca, (*Epist. vltim. l. 17.*) aut quod facilius in huiusmodi rebus est, nega tibi LIQVERE. & nos *Liu. lib. 31.*

reuerti

reuerti iube. *Consilijs nulla res tàm inimica quàm celeritas. celer enim pœnitentia, sed eadem sera atque inutilis sequitur: cùm præcipitata raptim consilia neque reuocari, neque in integrum restitui possint.* Ideo consultum putat Vtopicæ Reipublicæ auctor vt nihil, quo die primùm in senatu quid proponitur, eodem disputetur: sed in sequentem differatur senatum, ne quis, vbi quod in buccam primò venerit, temerè effutierit: ea postea excogitet, quibus decreta sua tueatur: malitq; salutis publicæ, quàm opinionis de se iacturam facere, peruerso quodam ac præpostero pudore, ne initio parùm prospexisse videatur, cui prospiciendum initio fuerat, vt consultò potiùs, quàm citò loqueretur. Hoc præceptum vel monitum ab Alexandro Seuero Imper. sumptum videtur, qui re proposita, Consiliarijs suis spatium ad disquirendum cogitandúmque dabat, ne de rebus sæpè ingentibus, incogitati sæpè dicere cogerentur, *quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis, quæ tarda, cum securitate, præmatura vel cum exitio properant.* Laurentius Medices Petri

Th. Morus l. 2. c. de magistratibus.

Æli. Lampr. in Seuero.

Tacit. lib. 3. ann. Bru. l. 5. hist. Flor.

tri F. Reipub. Florentinæ Princeps, in consulendis amicis, siue ille fidei hominum, siue constantiæ diffideret, aliquãdo variauit: minimè diu ijsdem vsus. Quos verò in consilium adhibere decreuisset, non illos quidem eodem tempore, sed seductos ab alijs, de Repub. consulebat: ita vbi ab ijs, qui, quæ aliorum esset sententia ignorarẽt, eadem afferri comperisset: in multorum consensu, quem neque præsentium æmulatio diuelleret, neque studium & gratia in mala sententia tueretur, consilium optimum esse arbitrabatur. Conducet etiam Principi, ad consilia dignoscenda, ea scire quæ per ipsius ditionem fiũt omnia, ne illi à malè consulentibus imponatur, sed cauendum interim, ne delatoribus nimis facilem præbeat aurem, solent enim ea, quæ nulla ex parte vera sunt, per calumniam Principi deferre, & eum ad iniustitiam sæuitiámque impellere, ex quo multorum sæpè innocentum periculum, imò pernicies exoritur, quod quidem verius latrocinium, quàm iudicium est. Obseruatum à sapientibus est, nullum vnquam delatorem fidelem fuisse. *Delatores*, ait Tacitus (*lib. 4. annal.*) *hominum genus publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coercitum.* Sed ad rem,

con-

Conducet etiam Principi dare operam, vt Consiliarij liberè quidem ſententiam dicāt, ſed vt interim concordia fraterna inter ſe coniungantur. Inter Cōſiliarios enim factiones interdum exitiales ſunt. (*lib.1.hiſtor.*) *Stimulat ſæpe priuati odij pertinacia in publicum exitium*, ait Tacitus, (*lib.5.annal.*) & alibi: *Odia conſulum in Reipub. perniciem eunt.* Multos ſectatores habent magni iſti, quibus ſe facilè adiungunt, & quorum ope odia exercent, in multorum, ſed in Principis interdum Reique publicæ perniciem. His duo addo: alterum, vt Princeps Conſiliarios eligat (ſic ſuadet ſapientiſſimus hiſtoricus) non ſtudijs priuatis, nec ex com- (*Tacit. in Agric.*) mendatione & precibus, ſed quos tales eſſe compererit, vti requiruntur: alterum, vt in roganda ſententia Auguſti nonnunquam morem obſeruet, qui de maiore ſæpè negotio, non ordine, ſed prout libuiſſet, perrogabat, vt perinde quiſque animum intenderet: ac ſi cenſendum magis quàm aſſentiendum foret, & ſanè nullum perpetuum rogandarum ſententiarum ordinem fuiſſe, clarè docet Suetonius: qui Iul. *In Iul. Cæſare.* Cæſarem poſt nouam adfinitatem Pompeium primò rogare ſententiam cepiſſe ſcri-

bit,

bit, cùm Crassum soleret, essetque consuetudo, vt quem ordinem interrogandi sententias Consul Kalendis Ianuarijs instituisset, eum toto anno seruaret. Ad extremum hoc quoque addendum, ne in principio sui Imperij, sine magna caussa, prædecessoris sui fidos probósque Consiliarios à se dimittat, à quibus multa gubernationi vtilissima discere poterit. Calistus prioris quoque regiæ peritus, ait Tacitus, (*lib.*11.*annal*) potentiam cautis quàm acrioribus consilijs tutiùs haberi, &c. Exemplum in Ludouico sit XI. Gallorum Rege, qui filio suo Carolo hoc consilij dedit, ne quid mutaret in administratione regni, & antiquos amicos, familiares, & ministros retineret. se enim reipsa expertum, in quot quantáque discrimina, vel vnica hac de caussa venisset, quòd excellenti probatáque virtute viros ab aula pepulisset: exorto haud multò pòst, Principum bello, quod commune bonum vocabant, & conspiratione multifaria. Amicos elegit. Titus (ait Tranquillus) quibus etiam post eum Principes, vt & sibi, & Reip. necessarijs acquieuerunt, quo nomine Claudianus Honorium laudat.

Vt fortes in Marte viros, animisq; paratos:
Sic iustos in pace legis, longúmq; tueris
Electos, crebris nec succedentibus vrges.

Restat, vt de rebus, quæ in Principum senatu deliberari debeant, agamus: deque consiliorum fine. De rebus sic statutum reperio. Ea tantùm sacrosancto huic consistorio proponenda, quæ ad summam Reipub. & ipsum statum pertinent: talia sunt de religione & Dei cultu, de legibus & magistratibus, de bello ac pace, de fide publica, de securitate seruanda, de fœderibus ineundis & tuendis, de finibus Imperij regendis, de magnatum controuersijs, de eorundem capite & fortunis omnibus, de negligentia magistratuum vel præfectorum, de curiarum & collegiorum controuersijs, de legationum secretis & alijs similibus de rebus. Qui enim senatum litibus disceptandis impediunt, rem tanto senatu minimè dignam faciunt. Debet namque Principis consistorium (vt dixi) circa ea demùm versari, quæ ad Rempublicam directè pertinent, & in rebus grauissimis, non in minutis ac leuibus controuersijs priuatorum, vel

Aristot. lib. 1. Rhetoric. de quinque rebus, de quibus consilium agitatur.

(Bod. lib. 3. cap. 1.)

simi-

similibus nugis occupari. Vt rectissimè, quisquis ille fuit, dixerit, eos qui magnorum virorum consilio conuocato, Iuuen. Sat. 4.

Tanquam de Geticis aliquid toruisq; Sicambris.
Dicturi, tanquam diuersis partibus orbis,
Anxia præcipiti venisset epistola penna.

de nugis, vel exigui momenti rebus consulunt: Apioni comparandos, qui Homerum ab inferis euocatum nihil aliud interrogauit, quàm quibus parentibus genitus esset. Quòd si quæras, vbinam cætera negotia tractari debeant, quæ tot supplicibus libellis continentur: item ea quæ ad reditus & ærarium Principis pertinent, ad annonam, ad delinquentium pœnas, & similia? Respondeo, plura solere constitui consilia, officio, negotiis & ministris differentia. Hispani septem consilia, totidem curijs seiuncta, & Regis prætorio comprehensa habent, vt quod libuerit Princeps adire, ac singulorum sententias exquirere, facilè possit.

Bod. lib. 3. cap. 1. Fur. Ceriol. de cons. cap. 1.

1. Quæstorium, quod ærarij publici curam gerit, & in Imperij reditibus, ex subditorum tributis, ex earum rerum vectigalibus, quæ euehuntur & inuehuntur, ex agris publicis, ex hostium spolijs, ex sociorum vectigalibus

& tributis, ex mercatura, &c. colligendis, conseruandis & augendis, debitisque exsoluendis versatur. 2. Militare, quod circà munitiones vrbium, custodiam finium, præsidia militum, aciem instruendam, castramentationes, omnem denique rem militarem versatur. 3. Annonarium, quod in id incumbit, vt vitæ necessaria tàm abundè suppetant, vt partem etiam vicinis & alijs impertiri possimus. 4. Iurisprudentum, ad quod extra iudiciales, omnes priuatæ controuersiæ ciuiles, de quibus Princeps consulitur, pertinent: item condendarum abrogandarumque legum cura. 5. Criminale, ad quod spectat rerum criminalium cognitio. 6. Censorium, cui morum castigatio commissa est. Postremò Summum, ad quod præter ea, quę diximus, istorum etiam præcipua referuntur vt ærarij dispensatio, &c. Veneti verò quatuor Consilia habent: præter senatum & coetum optimatum. Consilium sapientum, qui quæ terra geruntur, curant. Consilium sapientum, quod marinum dicitur. Consilium Decemuirorum, & consilium Septemuirorum: huic postremò summa quæque in Repub. deliberãda

(*Donat. Ianot. & Casp. Cont. de Repub. Venet. lib. 3.*)

da

da decernendáque commissa sunt: quibus vt collegijs dux præesse potest. Galli etiam cõsilium magnum ab arcanis Imperij submouerent, & aliud selectorum Principum & amicorum instituerunt, quod Priuatum vocant: vbi Principum literæ reserantur, legationes referuntur, mãdata explicantur. Nos igitur hoc in loco de isto consilio loquimur, quod cæterorũ tanquã caput esse debet. Sequitur, vt de consiliorũ fine nonnihil attingamus. Hominis est agere propter finem, finis necessitaté imponit ijs, quæ sunt ad finé, & est velut regula & iudicium eorum, quæ pertractantur. Ergò qui rerũ agendarũ finem ignorat, eius adipiscendi spes illi æquè adempta est, vt ei scopum feriendi, qui telum incertus, quò iaculetur, emittit: (*Sen. epist. 71.*) *Errant consilia nostra, quæ non habent, quò dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus suus est.* Vt igitur gubernator cursum secũdum, medius ęgri salutem, Imperator victoriam: sic Consiliarius Dei gloriam, Principísque sui & Reipub. vtilitaté sibi proponet, & in eam rem toto animo & studio incumbet. Ex veterum scriptorum lectione satis apparet, senatum etiam Romanũ ante omnia hoc

Arist. lib. 1. c. 2. Mor. & de part. an. lib. 1. cap. 5.

semper

ſemper potiſſimùm ſpectaſſe, quid Reipub. conduceret, & quid ciuitatis vtilitas, quid communis ſalus, quid Reipub. tempora poſcerent, vnde vſitatiſſimæ illæ formulæ paſſim: *E republica eſſe*, item, *Si aliter quis feciſſet, eum contra Rempub. facturum, &c. Qui Reipub. præſunt*, ait Cicero, *duo Platonis præcepta tenere debent:* vnum, vt ciuium vtilitatem ſic tueantur, vt quicquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. (*de off. 1.*) Alterum, vt totum corpus Reipub. curent, ne cùm partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. vt enim tutela: ſic procuratio Reipub. ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt, (*Claud.*)

Cic. Philip. 8. Cæſ. lib. 1. de bello ciuili & paſſim.

Tu ciuem patremq; geras, tu conſule cunctis,
Nec tibi: nec tua te moueant, ſed publica vota.

Commodum publicum non tàm Principis intelligi debet, quàm Reipubl. Nam Princeps etiam ipſe priuatam negligere debet vtilitatem, ſi cum publica pugnet. Poſſunt autem vnius rei plures eſſe fines. Architecti finis eſt domus, & eſt lucrum: Medici finis eſt ægrotantis ſanitas, & lucrum: Pictoris, repræſentare imaginem, & quæſtus. Sic Con-

ſiliarij

siliarij quidem scopus potest etiam esse priuata vtilitas, vel ambitio: verus autem finis est bonum publicum. nam quæstus (vt ad exempla redeam) non est finis architecti, medici, vel pictoris quatenus artificis, sed quatenus mercenarij. *Paucis*, inquit Tacitus (*Annal. lib. 12.*) *publicum decus curæ, plures tuta dis-serunt*. Rectè igitur Athenienses. Decreuerat Themistocles post victoriam de Xerxe, Græciæ Principatum instituere, atque in eum finem classem Lacedæmoniorum in vnum subductam locum, clàm incendere, vt eorum opes & Imperium frangerentur, ad populum igitur se de grauissima re, & ad summam Remp. pertinente, aliquid habere retulit, quod communicaret, rogauítque, vt vnum nominarent, qui cum ea de re ageret, ne per multitudinem euulgata, aliquando Reipub. fraudi esset: Aristides à populo nominatus, re audita, cùm videret Themistoclem in fine, qui decus est publicum, errare: eius quidem consilium vtile Reipub. sed turpe & flagitiosum videri respondit. Vniuersa igitur concio è vestigio repudiandum consilium, quod cum propa-

Aristot. mag. moral. l.b.1.cap.3.

Plut. in vita Themistoclis. Valer. Max. l.6. cap.5.

gatione

gatione finium dedecus Imperij coniunctum haberet, proclamauit. Reperit Tacitus (*lib. 2. annal.*) apud scriptores senatoresq; eorum temporum Adgandestrij Principis Cattorum lectas in senatu literas, quibus mortem Arminij promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur: responsumq; esse, non fraude, neque occultis, sed palàm, & armatum populum Romanum hostes suos vlcisci: qua gloria æquabat se Tiberius priscis Imperatoribus, qui venenum in Regem Pyrrhum vetuerant. *Quæ facta*, ait Iurisconsultus (*l fil. 15. ff. de cond. inst.*) *lædunt pietatem, existimationem, verecundiam: & vt generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum.* Ideò Romani legibus suis hanc clausulam adijciebant: SI QVID SACRI SANCTIQVE EST, QVOD IVS NON SIT ROGARI, EIVS HAC LEGE NIHIL ROGATVR, vt Probus testatur. Sed & Cicero: (*pro Cæcinna.*) Atq; hæc si non omnia: præcipua tamen sunt, quæ de consilijs in genere dici possunt: quæ breuitate, vti sperare me iuuat, non ieiuna, ad finem perduxi, additis doctorum, quos sequutus sum, virorum testimonijs: ne me, quis, licet in re valdè *Suet. in Domit. c. 5.*

dissimi-

dissimili, Domitianum imitatum, obijcere possit: qui plurima opera, incendio absumta, restituit, sed omnia sub titulo tãtum suo, ac sine vlla pristini auctoris memoria. Porrò, quid hîc assecutus sim, tui lubens meritò facio iudicij, lector, si eruditus es & candidus.

HIPPO-



HIPPOLYTI A COLLIBVS.

PALATINVS,

SIVE.

AVLICVS.

Viro Nobilissimo
ARENITO A COLLIBVS
Patrueli meo S.



I VERVM ILLVD est, quod est verissimum, eos demum solidè de re quapiam iudicare posse, qui studio eius incensi, magnum suum nomē atq; illustre, ea per plurimos annos excolenda fecerunt, pauci reperientur, qui ad exactam Principalis aulæ normam, militari ciuiliq; munere virum elegantem, melius te ARENITE *frater, instituere, deq; aulæ commodis & incommodis solidius disserere valeant. Nam & infans adhuc postremam*

Medio-

Mediolanensium ducem Christiernam Daniæ Reginam, cuius gynæceo præerat tunc mater tua, insigni cura educatus, felicis ingenij specimen præclarum dedisti: & maior, in Vespasiani Gonzagæ, Principis (vt cætera taceam) bellica laude clarissimi, familiam, à patre meo eius tùm aulæ præfecto pertractus cum ipso Italiam, Germaniam Hispaniamq; perlustrasti: tandem priori Dominæ, quæ altero matrimonio Francisco Lothringiæ Duci se iunxerat, restitutus, ab eadem postmodum, arridentis iam naturæ, excultiq; ingenij dotibus instructus, filio Carolo traditus, ei etiam legationibus obeundis, fidem, diligentiam, prudentiamq; tuam ita probasti, vt eius Cubicularij nomen (qui honos non cuilibet nobili Lotharingo, nedum extraneo contingit) non multo post merueris. Quo quadraginta circiter annorum spacio, non est dubiũ quin quamplurima, quæ ad præcellentem aulici educationem exactamque disciplinam pertinent, obseruaueris, vsq; didiceris, aulæ felicitatem non in exterioribus illis consistere,

Ful-

Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut auro bibere, & cubare cocco,
Regales dapibus grauare menſas,
Et quicquid Libyco ſecatur arvo:
Sed nullos trepidum timere caſus, &c.

Quid mirum igitur, ſi te potiſſimum PALATINVS *hic meus adeat, ſi iudicium tuum poſcat? quod eo liberius futurum ſcit, quoniam aula relicta, emeritus domum reuerſus es, vbi*

Paterna rura bobus exerces tuis.

Illic modo ſub antiqua ilice, modo in tenaci gramine hunc libellum legere ſi dignaberis, vitæ ante actæ, non ſine animi voluptate, recordari poteris:

Illic purpureis tecta roſariis
Omnis fragrat humus, calthaq; pinguia.
Et molles violas, & tenues crocos,
Fundit fonticulis vnda fugacibus.

Eſt & alia huius ſcriptionis cauſſa, ſanguinis inter nos vinculum. Ideo arctius habendum, quod familiæ noſtræ ſoli (iungo nobis Fridericum meum Caſimirum) ſuperſtites ſimus: Iam pridem enim patruus noſter Ioan. Baptiſta, Rhodij ordinis, quem Meli-

tensem nunc vocant, eques, aduersus Christiani nominis hostes fortiter pugnans occubuit. cum sequutus est pater tuus Camillus Tortonæ præfectus: postremò & meus, vt erat fratrum natu minimus: cuius apud me memoria merito semper sanctissima. Hi tamen diuerso fato, quia placide. Quare haud est quod verear quin hic tibi AVLICVS gratus futurus sit; imò quin vtrumq; assecuturus sim, & vt mihi grati animi fructus aliquis constet, meæ voluntatis in te hoc qualicunq; testimonio constituto, & vt qui aulici rectissimo itinere ad perennem laudem aspirant, tuo exemplo magis magisq; inflammentur. Vale nobilissime Arenite. Scri. Cal. Nou. VIC.

HIPPOLYTI
A COLLIBVS
PALATINVS,
SIVE
AVLICVS.


CCIDIT COTTIDIE pœne, vt Palatini qui dignitates & opes, ad quas diu adspirarunt, obtinere non potuerunt: modo Principum ingratitudinem incusent, modo in aulas, virtutum (vt aiunt) insectatrices, modò in inuidiam, modò in animorum cæcitatem, sæpè in fortunæ inconstantiam, cui priora omnia tribuunt, inuehantur: ac illud subindè exclament,

O Fortuna, viris inuida fortibus, Sen. in Herc.
Quam non æqua bonis præmia diuidis. fur.

vt plurimum, meo quidem iudicio, immeritò, ne quid grauius dicam. Nam licet Principes sæpissimè mimos, parasitos, adulatores, atque id genus hominum, quibus multa iam largiti sunt, *Senec. lib. 4. De benefic.* *Phil. Commin. lib. 5.*

maiore

maiore honore & amore prosequantur, ijsq; sua libentius concredant, quam quibus vitam debent, & quorum ope sceptra tenent; quos nonnunquam rustico pudore suffusi, illibenter videre, expellere, imò & capitali odio persequi solent: vt verissimum illud Taciti sit: *Beneficia vsq; læta sunt, dum videntur exsolui posse: vbi antevenere, pro gratia odium redditur.* quamuis etiam boni ac pudentes impudentium Palatinorum (quos meritò Constantinus *tineas soricesq; Palatij* vocare solebat) fraudibus eludantur: *qui secretis criminationibus infamant ignarum, &, quo incautior decipiare, palam laudatum:* video nihilominus horum præcipue malorum scaturiginem ab ipsismet (fateamur enim id quod res est) plerumq; oriri: quod aulæ se dedant artibus & moribus iis destituti, qui summe requiruntur; maxima Principum negotia tractare parent, quum vix sibi ipsi quid facto opus sit præscribere valeant; quod pessimum est, magnificè de se sentire soleant. Sæpè vel indignos tot honoribus, aut malè gratos prouexisse piget. Nimis ineptum est, onus subire, cui ferendo vires non sufficiant. Princeps vix

Connestag. lib. 9.

Sext. Aurel. Vict.

Tacit. lib. 2. hist.

adeo

adeo malus reperitur, qui non diligenter & prudenter ſua negotia expediri cupiat; ac conſequenter fidos prudentesq; miniſtros, quorum ope ſe difficulter carere videt, vel ſui cauſſa beneficijs & honoribus non proſequatur. At inuidia, quæ virtuti comes eſt, eamque non aliter ſequitur atq; vmbra corpus, ſæpe conatibus obſtat. Sit ſane: arte tamen & virtute ita ſuperanda eſt, vt nocere non poſſit. Scribit Tacitus Lepidum *Annal. 4.* plæraq; ab ſæuis adulationibus aliorum, in melius deflexiſſe, neq; tamen temperamenti eguiſſe, cum æquabili auctoritate & gratia apud principem floruerit. Inſtas: lubricum Regum gratiam eſſe, ſæpiſſimeq; contingere vt qui apud Principes maxima gratia pollent, & omnia in aulis, quò volunt, facile perducant, in maximum odium vitæq; diſcrimen incidant: *Lucret. lib. 5. de rer natur.*

Namq; hos è ſummo quaſi fulmen deijcit ictos
Inuidia interdum contemtim in tartara terra.

Hermeas magna apud regem Antiochum *Pollyb lib. 7.* auctoritate valebat: is tandem inſpectante probanteq; rege interemtus eſt. L. Ælius Seianus, tanta apud Tiberium gratia fuit, vt *Dio. in Tiberio.* pro collega in imperio haberetur: in hunc lata ſententia eſt,

placere Ælium Seianum capite plecti, corpus in Gemonias proiici, eiusque liberos omnes interfici. Plautianus, *Zonar. an tom 2.* vt tot alia omittam, tanta potestate apud Seuerum valuit, vt particeps imperij censeretur: nihilominus misere interiit, & cadauer eius in viam contumeliosè proiectum. vt ex his conijcere liceat, Principum gratiam exitium adferre; & cum Seneca exclamare quis possit:

O Regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioq; nimis excelsa locas:
Numquam placidam sceptra quietem
Certumue sui tenuêre diem.

Hæc ita se habent. Verum, si penitus rem intueamur, gratiam Principum per se non obfuisse cognoscemus, sed ipsos qui gratia satis vti non potuerunt. *Inter tot obsequia fortunæ non satis cauta mortalitas est*, ait Curtius. *Lib. 8.* Hermeam intolerandus fastus odiosissimum fecerat: Ælium Seianum perduellio & perfidia: Plautianum inexplebilis auaritia, atque idem fere de ceteris, qui Principum gratiâ exciderunt, dici posse reperiemus. Neque id in Aulicis mirari debemus, quum & similibus de caussis ipsos Principes

cipes sublimi rerum fastigio sæpe deturbatos legamus.

Quid memorem euersas vrbes Regumq; ruinas?
Inq; rogo Crœsum? Priamumq; in littore truncum?
Cui nec Troia rogus? Quid Xerxem maius & ipso
Naufragium pelago, quid captos agmine Reges?

vt contra, si in eos qui humili loco nati, clari euaserunt, oculos intendamus, eorumque actiones perpendamus, multis præsidiis instructos fuisse inueniemus. Prodeant in medium Agathocles, Ptolemæus primus, Hieron, Ser. Tullius, Sylla, Vespasianus, Probus Imperator, Iustinus Thrax, Ottomanus, & alii innumerabiles, qui vilissimo licet genere nati, Regias dignitates ingenio, virtute, diligentia obtinuerunt. *Arbores magnæ* (ait Q. Curtius) *diu crescunt, vna hora exstirpatur. Stultus est qui fructum earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen peruenire contẽdis, cum ipsis ramis quos comprehenderis decidas. Leo etiam aliquando minimarum auium pabulum fuit; & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est cui periculum non sit etiam ab inualido. Proinde fortunam tuam presis manibus tene: impone felicitati tuæ frenos: facilius eam reges.*

Hæc cum nuper à me, nescio qua occasione dicta audiuisses, FRIDERICE nobilissime, rogare me vt illarum artium quas tantopere in aulico necessarias esse dicebam notitiam tibi traderem, non desisti. Ego, quod scirem ad vitam recte etiam priuatim agendam, nedum ad grauissimam Aulici personam, multa requiri, id ab initio detrectare; sed postea re melius perpensa, annuere cœpi: vt hac exigua illa quidem ratione, sed à non exigua in te pietate profecta, animum erga te meum declararem, tibique, quantum possem, vt vitæ consilia ad exactissimam prudentiæ normã dirigeres, omnesq; tuas actiones, veræ virtutis perfectiq; officij ratione metireris, auctor essem. Spero autem me & tuis optatis, & meis tui iuuandi desideriis, paucis satis fecisse. Ante omnia autem *Educationem* plurimum posse, eaque ingenia corrigi distorqueriq; solere, Lycurgus suis ciuibus eleganti spectaculo comprobauit. *Educatio & disciplina* (inquit Sacra pagina) *mores faciunt: & id vnusquisq; sapit, quod didicit.* Ideo Seneca, *Proximis*, inquit, *applicatur omne quod* (Seneca de ira.) *tenerum est, & in eorum similitudinem crescit.* Apud Platonẽ educatus

Plutarch. in Lycurgo.

puer,

puer, quum ad parentes relatus, vociferantem audiret patrem: *Numquam hoc, inquit, apud Platonem vidi.* Faciles ad vtramq; viam puerorum animos natura gignit, vt cum ducem nacti sunt, vel ad honestatem, vel ad turpitudinem non admodum repugnantes sequantur. Prodest plurimum bona natura; sed tum maxime, cum ad honesta educatione flectitur, in solo fœcũdo plus cultor sæpe, quam ipsa per se agri bonitas, efficit. Danda igitur opera illi qui ad magna peruenire cõtendit, vt moribus quam optimis imbuatur, vt non in delicato, sed simplici victu; non otio, sed labore; non in luxu, sed rerum omniũ parsimonia; non in temeritate & audacia, sed modestia & verecundia; non in licentia, sed timore; non in voluptatibus, sed in liberalibus disciplinis primam eam ac teneram ætatem traducere adsuescat. *Vtinam* (ait Quintilanus) *liberorũ nostrorũ mores nõ ipsi perderemus: infantiam statim delicijs soluimus. mollis illa educatio, quam indulgentiam appellamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit, quos enim virtutum fructus adulta iam ætate laturum eum animum sperare possumus, qui à teneris vnguiculis vitia statim imbibit? quid non ætatis progressu concupiscet, cuius infantiam parẽtes auro, argento,*

purpura, holosericis vestibus exornant? quam in adolescentia temperantiam præstare poterit is, quem puerum, atque adeo infantem, parentes conquisitissimis epulis, & omni genere obsoniorum saturant? qua ratione sobrius in reliqua vita fiet ille, quem à pueritia parentes ebriosum efficiunt? Recte Horatius:

Angustam amici pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet, eques metuendus hasta:
Vitamque sub dio, trepidis agat
In rebus. ———

Ideo Platonem, grauissimum illum honestatis præceptorem, videmus in omnibus fere dialogis suis, parentes inprimis ad recte liberos educandos adhortari. Primam enim & maximam Reip. curam iuuentute liberaliter instituenda consistere iudicabat: quæ deinde parentibus succedens, vniuersam Remp. & prudentia & morum integritate non solum tueatur & conseruet, sed etiam exornet, atque amplificet. Fusius hæc tecum agere superuacuum duco. à parentibus enim tuis ita educatus, à præceptoribus ita institutus es, vt nihil amplius requiri posse videatur. nam vt iam de nobili fa-

milia,

milia, *Castill. lib.* 1. quæ magnum ornamentum, immo fulcimentum, esse solet: de apta membrorum tuorum compositione, præstantique oris figura & dignitate: *litteris* Latinis, quibus hodie Reges populique, qui de pace, de bello, de fœderibus, aliisque magni momenti rebus agunt, vtuntur, erudiri voluisti: artium optimarum & scientiarum principia didicisti: in primis pietatis fundamenta, quod omnium apex est, hausisti: Iurisprudentiæ capita delibasti: vnicum hoc restare videtur, vt ita peregrineris, vt externos mores, diuersas ciuitates & linguas administrationumque genera, diligenter animaduertas: (exacuitur enim & quasi vsu exterorum splendescit ingenium, prudentiaque comparatur) tum his *historiarum* cognitionem adiungas. Nam sine hac vix grauem vmquam personam sustinere poteris. *Quint. lib. 12. Inst. cap. 4.*

Quemadmodum enim senex iuuene prudentior habetur, quoniam per plures annos quæ fierent, vidit. ita etiam fatendum est prudentissimum illum fore, qui non ætatis suæ modo, sed & præteritarum quoque gesta cognouerit. Quid enim aliud est prudentia, quam euentorum obseruatio, rerumq; præsentium ac futurarum ex

ex præteritis tanquam ex fonte ſcientia deriuata? Speculum ciuilis vitæ hiſtoria eſt; in quo Heroes, Principes, nobiles, & quotquot Reipubl. & imperiis deſtinati ſunt, ſe contemplari debent. Si quis, exempli gratia, Principis effigiem videre cupit optimi, fidei inprimis rarum exemplum, æque ſecundis & aduerſis rebus cum ſocijs colenda: hoſpitalitatis & munificentiæ in exteros; caritatis in ſuos; prudentiæ extremo vitæ ſpiritu, cladibus Siciliæ imminentibus, per pueri regis contemptam ætatem & tutorum ſcelus præcauendis, pietatis in patriam & animi magnitudinis ſuſcepta cogitatione, de Syracuſis poteſtate regia liberandis. Si quis item in principe puero ſtudia omnia contraria videre vult, & quæ hinc ætatis vitio, hinc regiorum aſſentationibus, in dies fiant deteriora: regno imparem animum, officij onus viribus maius: & tutorum immanem ambitionem, is Liuium de Hierone, eiuſque filio legat. Quid multis? Suppeditabit hiſtoria abunde, omnium ciuilis prudentiæ capitum exempla, ſed & bellicæ. Si tempus pugnæ captabitur, hiſtoriarum gnarus faciet, vt Lyſander ad Helleſpontum: Si locus, vt Xantippus in Africa

Plutar. Front. lib. 2.

Vbi

vbi aciẽ instruet, mille modis peritissimos rei militaris Lacedæmonios imitabitur. Quum insidiis pugnare malet, Timotheum & Iphicratem sequetur, vel etiam Hannibalẽ imitabitur. Victor, effugium hosti dabit, ne desperatio audaciam pariat; vt Xerxi Themistocles. Victus, quandoq; hostem fraudabit, vt in Hispania Romano disperso exercitu Viriatus & Sertorius. Quod si oppidum aliquod expugnandum accedet (quæ res ob difficultatem summũ inter bellicas artes obtinet gradũ) vel deceptis propugnatoribus, vt Aristippus Tegeam: vel cito ad inopiam redactis, *Pausan.* vt Alexander Leucadiam: vel aquis auersis & medicamento infectis, vt Clisthenes Tritæam: vel educto præsidio, vt Pyrrhus Illyriorum metropolin: vel aduersa parte oppresso, vt Alcibiades Cyzicum, & Thrasybulus Sicinum: recessu callide simulato, vt Epaminondas Mantineam, & Phormio Chalcidẽ, expugnabit. Contra, si obsidione laborabit, ne quid tale sibi eueniat, cum his tum aliis sexcentis id genus clarissimorum ducum exemplis cauebit: cognoscet locorum, montium, fluminum, vallium naturas, vrbium situs, loca idonea ad castra ponenda ad aciem

Polyænus 3.

Liuius.

Plutarch.

instruendam,ad manum conserendam. Discet quot sint generali militiæ, quid in militum delectu obseruandum; quid in militum exercitatione: quid in ordine castrensi: quid in castrametatione : quid in excubiis militum circa castra: quid in vrbium propugnatione vel oppugnatione : in quonam nostri duces exercitus, in ordinanda acie videantur esse dissimiles antiquis: vtrum pedestres copiæ sint magis æstimandæ, quam equestres : vtrum vniuerso exercitui præponendus sit vnus, an plures. Deniq; illud in summa ex tot historiarũ voluminibus colliget, vt intelligat vicissitudinem esse in rebus omnibus, ac ideo nec secundis nimium tollatur:nec aduersis frangatur. Pluribus exemplis vsus sum, quia historiæ vtilitas satis inculcari nequit, quod si quis neget ex nuda lectione talia disci posse, is L. Lucullum sibi proponat, quem Cicero Roma profectũ scribit,rei militaris plane rudem: sed quum totum iter & nauigationem consumsisset partim in percontando aperitis, partim in rebus gestis legendis,in Asiam venisse,factum, Imperatorem tantum, vt Mithridates, rex post Alexandrum maximus,hunc à se maiorem ducem cognitum,quam quemquam eo

rum

rum quos legiſſet aut vidiſſet, fateretur. Idē de aliis multis dici poteſt. Ideo Honorium Claudianus ad lectionem hiſtoricam his adhortatur verbis:

——nec deſinat vnquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas
Antiquos euolue duces, adſueſce futuræ
Militiæ, Latum retro te conferti in æuum.
Libertas quæſita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Metu ſatiabere pœnis.
Triſte rigor nimis? Torquati deſpice mores.
Mors impenſa bonum? Decios.

& quæ ſequuntur. Vnum addo: cum maxima ſit hiſtoricorum copia, *delectum* habendum. Apud Græcos excelluerunt Thucydides, Xenophon, Polybius, Plutarchus, Nicetas: apud Romanos, Liuius, Tacitus, Saluſtius, Cæſar, Q. Curtius, Suetonius: noſtro ſeculo, apud Italos Guicciardinus, Coneſtagius: apud Gallos, Cominæus: apud Germanos, Sleidanus. Hi ita legendi ſunt, vt non ſolum quid, ſed etiam qua occaſione, quo modo, quando, quo rerum ſtatu dictum factumue ſit obſeruemus. Porrò ſine *Geometriæ* cognitione intelligi hiſtoria non poterit; quæ magno quoque vſui erit ad ciuitates, caſtella, arces, domus, agros dimetien-

tien-

ciendos; ad castra ponenda, ad colligendas turmas; ad omnes deniq; machinas, quibus in exercitu vel itinere vti solemus: nam balistæ, & reliqua lapidum tormenta ad oppugnandum propugnandumq́; idonea, ex hac disciplina maximè proficiscuntur. Ad *Eloquentiam* quod attinet, ea aulico sufficiet, quæ sensa animi aperiet proprie & pure omnes Rhetorum arcas euoluere nolo: pigmenta orationis alis relinquet, & pressa potius atque arguta, quam multiloqua & vaga Rhetorica delectabitur. Hac ad extemporalitatem vsque promptũ eum esse cuperem. Mirum dictu est, quantopere bene dicendi studium, quod omnia quæ prudenter concepta sunt, audientium auribus breuiter summa cum iucunditate repræsentat, magnis viris semper placuerit, id quod ex quam plurimis percipi potest: qui quidem cum nec eximius eos vllus generis splendor, nec summus diuitiarum fulgor, sed elegans solum ipsa dicendi ratio commendaret, ad aulas cum accessissent, in iis gloriosissimè floruerunt. *De Musica* quæri hîc video: de qua ita statuere plerosq; video, Musicæ odium esse immanitatis argumentum. Nos autem ita ad rem decidamus. Cum illarum artiũ quas

Cu-

curialē ſcire conuenit, nonnullę reperiantur, quæ nullo modo ab illo tractandæ ſint, quædā verò mediocriter attingendæ, aliæ ſummo ſtudio colendæ: hanc ex illis diſciplinis eſſe, in quibus mediocre ipſius ſtudium erit. Nimium in uituperatione ponetur. Audio hîc muſſitantem, multos excellenti animo atque virtute fuiſſe, etiam ſine doctrina, ſolo naturæ habitu. At demus ſane nonnullos ſine litteris emerſiſſe, inq́; præſtantes viros euaſiſſe: an ideò ſperandum eſt, reliquos omnes horum veſtigia ſequuturos; aut, ſi velint, adſequuturos: id enim veriſſimum eſt quod ait Horatius Satyr.

Forſitan hæc ſpernant iuuenes, quib. arce benigna.
Et meliore luto finxit præcordia Titan,
Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt,
Et monſtrata diu veteris tenet orbita culpæ.

Non ideo pontes, qui communis hominum vſus gratia ruri fiunt, reſcindendi ſunt, quod nonnulli reperiātur qui foſſam aut riuulum ſaltu facilè ſuperent. Ponit quidem Homerus ſapientem ſine litteris Neſtorem: ſed ipſi portentoſam attribuit ſenectutem: quæ inſtar multarum hiſtoriarum obtinet. Hactenus de animi, nunc de *corporis exercitijs.* nam rectè Plato duas ciuitatibus artes neceſſa-

çessarias esse iudicauit, Gymnasticen & Musicen: hanc quidem, animorum; illam verò, corporum nutricem. Qui Gymnasticen negligunt, corporeis viribus languere: qui Musicen (id est, litterarum studia) aspernantur, rudes ac barbaros fieri: qui ab vtraque deseruntur, & ignauia corporis, & mentis inertia torpere necesse est. Porrò exercitiorum species multas enumerat Plautus Mostel.

Cor dolet mihi, quom scio nunc vt sum, atq; vt fui olim: quo neq;
Industrior de iuuentute erat arte gymnastica, disco, hastis, pilo,
Cursu, armis, equo, victitabam volupe parsimonia & duritia.

Romanam igitur iuuentutem equis, hasta, claua & pila, lucta, venatione, cursu exerceri, vetus consuetudo fuit; pariter sudem torquere, arma tractare: exerceri item iactu disci, saltu, jaculatione vel cæstu. Eratque S.Cto, cautum, vt nisi his ludis, in pecuniam ludere non liceret. Græcis octo fuerunt ludi, quibus iuuentus exercebatur impune: stadium, diaulus, dolichus hoplites, pygme, pancrarium, pale, & halma, hoc est saltus. Hæc priscis illis temporibus iuuentutis exercitationum genera erant: ad quæ non

tam

tam Aulico reſpiciendum, quam ad ea quæ Principibus hodiè vſitata ſunt. Inter alia eſt elegans *equitandi ratio*, quam hodiè Itali, & inter eos Neopolitani ad vnguem tenere videntur. Hæc cum pace iucunda, in bello vtiliſſima, immo neceſſaria ſit, à teneris annis ita Aulico percipienda erit, vt non ſolum equis cum gratia inſidere, eos curſu & recurſu incitare, ſiſtere, de via deflectere, per ſalebras iis decurrere, denique & in orbem agere, variare gyros & ad omne opus bello neceſſarium vſurpare ſciat: ſed etiam perfectè naturam equorum teneat. Exempli gratia; qua forma legi ſpectarique oporteat: quomodo pedes probandi: quid ſignificent vngulæ craſſæ, quid humiles, quid valdè erectæ: quid tibiæ caprearum more erectæ. quid coxæ anteriores pingues vel macilentæ: quid pectora latiora. quid ſi ceruix more apri prona procumbat: quid, ſi more galli recta ſit: quid colli protenſio: quid nares apertæ: quid oculi prominentes ſibi velint: vnde maxillæ molles duræue cognoſcantur: quomodo pullus curandus: quæ cautiones in emendo equo; quale domi ſtabulum eſſe de-

Vide Paſchalem Caracciolum & Cortem.

debeat: quod genera frenorum ſunt, & quod cuiq; conueniat: quomodo immittendum: quid in ſtrigili obſeruandum. Hæc & alia huius generis Aulico apprime neceſſaria: tum, quod coram Principibus ſæpenumero eiuſmodi de rebus ſermo habeatur: tum, vt ſibi etiam conſulat, ſi quando haſtiludijs & aliis certaminibus exercere ſe cum laude velit. Non minus in iuuentute Aulico colenda *pedeſtria exercitia*, quæ fiunt gladiis, haſta, miſſilibus, iaculando, luctando, currendo, pila ludendo. his namque corporis dexteritas comparatur. Et certum eſt plurimum ſolere tribuī venuſtæ concinnitati & elegantiæ, tum apto motui. Epaminondas Thebanus, vir fuit omni virtute præſtantiſſimus, omnesq; artes ac diſciplinas calluit, quæ ad ſummum Imperatorem pertinent. is poſtquam adoleuit, palæſtræ operam dare cœpit, non tam magnitudini virium inſeruiens, quam velocitati agilitatiq; corporis: illam quidem ad athletarum vſum, hanc autem ad belli vtilitatem exiſtimans pertinere, exercebatur igitur cotidie mane currendo deſiliendoq; veſperi autem, luctando, vt ſtans aliquādo in armis hoſtem contra ſe ſtantem complecti, locoque exturbare

Plutarch.

bare posset, vel terræ illidere, aut fugientem saltu cursuque adsequi. Hisce autem exercitiis Aulicum nostrum adeo præstare vellem vt quicquid spectante Principe vel populo adgrederetur, id tam exacte perficeret, vt vni illi rei studuisse videretur, alioqui non facile eum in arenam descendere cum alijs vellem : cum tutius tum sit se excusare, quam populi iudicium subire. Absurdum est artem profiteri, quam quis non calleat.

Caue adgredi quæ perficere vires negant.

Quum vero Principes summopere *venationibus* delectari soleant, & aucupiis, vt canum notitiam auiumq; habeat, requiro. Sciat quinam ad indagandas, propalandas capiendasque feras apti sint; qui velocissimo cursu esse soleant, & qui ferocissimi; quomodo canis melior censeatur; quod terrestrium animalium ad venatum genera sint; quomodo & quibus temporibus venandum: quotnam accipitrum genera sint, quinam hierofalcones, vel ignobiles siue villani, qui mediani dicantur, quomodo alendi instituendiq; vt aduersus volantes alites artificiosi dimittantur, surgentes è terra quampri-

Vide Bellisarium De uenatione & aucupio

mum

mum rapiant,& per apertũ volantes, aut in sublime sese efferentes inuadunt;postremo, ad notam heri læuam redeant: vt si aulicus à Principe his de rebus interrogetur vel iubeatur,solide respondere & agere possit.

P.Ang.Barg.

Discat ab incuruis iaculum torquere lacertis
Eminus,& neruo celeres aptare sagittas,
Et viridi affixum tumulo pertingere signum.
Exiguamq; procul traiecto in fune volucrem,
Quo tendat calamos,pinu suspendat ab alta.
Protinus ille etiam primis consuescat ab annis
Ardua marmoreum iaculari ad sidera discum,
Robustasq; altis deuoluere montibus ornos.
Nec sinat informi vires torpere veterno,
Et turpi languere situ,nec mollia corpus
Otia luxurie,vitaq; in deside frangant.
Nec mihi displiceat torquere per aera vectem,
Qui bis in vndenas excurrat pondere libras.
Nunc vero ingentem rapido conscendere saltu
Durateum, celebri iuuenum plaudente corona,
Nitere equum,versoq; super da corpore gyros
Aerios,teq; ipsum alte compone sedentem,
Rursus & in terram tergo reuolutus ab alto
Deflue,vix ima signans vestigia planta.
Cantinuoq; acrem cinctus fulgentibus armis,
Cyllaron,& volucrem deflectere Ariona in orbem

Mul-

Multiplices. seu dextra vocet, seu læua ruentem
Contende & faciles glomerare volumina in armos
Disce, &c.

Atque hæc de vtrisque tam corporis quã animi exercitiis dicta sint: Superest vt de *morum concinnitate*, quam Cicero ornatum vitæ & decorum appellat, quæ admirationem hominum mereri & beneuolentiam conciliare, solet, pro instituti ratione paucis differamus. Nam quemadmodũ pulcritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos & delectat. sic & hoc decorum quod elucet in vita, incessu scilicet, motu, gestu, sermone placido, vestimentorum ornatu. *Vt vinum austerum* (inquit Socrates) *non est aptum potioni*: (Plutarch.) *sic mores agrestes non apti sunt hominum conuersationi*. Non sufficit facere, sed hoc insuper requiritur, venuste facere. Q. Hortensius plurimum in corporis decoro motu repositum sciens, pene plus studii in eodem laborando, quam in ipsa eloquentia impendit. Itaque *nescires*, ait Valerius, *vtrum cupidius ad audiendum eum, an ad spectandum concurreretur: sic verbis oratoris aspectus & contra, seruiebant*. Recte Enimuero vt sæpe obsonia, licet optima non sapiunt, si intinctus aut absit,

aut

aut vitiosus sit: sic quamuis sæpe mores alicuius nobis non obsint, tamē quia τὸ πρέπον (id est, condimentum) abest, summe displicent. Sit igitur Aulici *incessus* nec tardus nec concitatus nimis, nec vacillans; sed grauis; & tamen non adfectatus. Pari ratione totius *corporis motum* non leuem, non rusticum, non petulantem aut palæstricum, sed grauem esse volo. Et quia *Sermo* mentis character est, in eo decorum obseruabit personarum, locorum & temporum: aliter cum Principe, aliter cum æqualibus, aliter cum minoribus loquendum. Sit decens habitus, sit gestus simul cum sermonis decoro congruens; ita vt nec pedibus nec manibus gesticuletur, sed oculis intentis secum loquentes audiat. Est eiusmodi in loquendo elegātia indicatio interioris virtutis, quæ perpetua esse non potest, nisi optima animi inductione emergat. Multa quidem fingi gestu, vultu, oratione possunt, quæ in animo nusquam sunt; sed ea diuturna esse minime possunt. Cernitur & decorum in *Vestitu*. Detestandi nonnulli aulici sunt, qui mulierum vel potius meretricum instar cincinnis crispatū capillitium gerunt & barbam, & se mulierum ornatui, imò & voci ac-

Vide Galateum de Moribus.

com-

commodare student Audiamus de his Senecam patrem loquentem: *Quicquid est b. ni moris exstinguimus leuitate & politura corporum. Muliebres mundicias antecessimus; colores meretricios matronis quidem non induendos, viri sumimus*, & alibi. *Cantandi saltandiq; obscœna studia effeminatos reddunt, & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem accommodare.* absint omnia quibus effœminari quis potest.

(*lib 7. natur. quæst.*) (1. *Controvers.*)

Qui corpori studet nimis, negligit animum.

Sit igitur vestitus Aulici conditioni & regioni in qua versatur, cum decoro accommodatus: sed & ipsius corpori; ne alterius forte vestibus indutus videatur; quas respectu loci, caussæ, ætatis, temporis, arte mutare sciet, & ne vel bene vel male oleant cauere, vtrumque in vitio est: Bene olet qui nihil olet. (*Martial.*)

Non bene olet, qui bene semper olet.

Hæc quæ in aulico requiri diximus, maximi momẽti esse nemo inficiabitur. verum ea quæ iam sequuntur, non multo maioris æstimanda, tantoq; accuratius obseruanda sunt, quod in ea præcipuè peccare hodie quam plurimos videmus. Primo autem quo

pacto

pacto ſe *erga Principem*, poſtea quomodo ſe *erga pares*, ad (quantum poteſt) inuidiam vitandam, gerere debeat, faciente Deo videbimus: ita tamen vt in dicendo breuitas, cui inprimis ſtudemus, eluceſcat. Ante omnia id ab Aulico requiro, vt talis reuera ſit, qualis Principi vel aliis videri vult: nihil in eo fucatum, nihil non apertum ſit, non à mente lingua diſſentiat, non ſimulandi vlla arte vtatur, ſed circa Principem præcipue reclusum pectus gerat. *Homerus*

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ κατ' ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ
εἴπῃ.

Hoſtis enim ille mihi perinde ac inferorũ portæ, Qui aliud quidẽ celat in præcordiis, aliud vero dicit. Fieri non poteſt, vt ſimulatum (quod & paulo ante diximus) ſtabile ſit, nam ſimulationis vna eademq; ſemper facies eſſe nequit. *Nullum mendacium* (vt eſt apud Euripidem) *ſeneſcit*, Recte Ariſtot. *Falſum bonum, in principio, verum malum, temporis progreſſu conuinci. Hæc eſt vera dementia* (inquit Cyprianus) *non cogitare nec ſcire, quod ſimulationes non diu fallãt: noctem tam diu eſſe, quamdiu non eluceſcat dies: clarificato autẽ die & Sole orto, luci tenebras & caligi-*

ginem cedere. Et vt breuis admodum mulieris fucatæ gratia est: (nam halitu primo fucus inæqualiter difflatur, & ipsa facies maculosior redditur) sicquum simulatores (quod facile fieri potest) speciem illam amittunt, dum minus exspectabatur, infames magis fiunt, inq; Principis aliorumque suspicionem & odium incurrunt. Theophrastus Chius, venit legatus Lacedæmonem, vir alioqui iactator & lasciuus, vt qui senectutem dissimulans, canos infecerat. Archidamus igitur surgens, *Quid*, inquit, *pro sano dicet qui etiam capillis mentitur?* Merito igitur Æschylus in cælum laudibus Amphiaraum summũ illum augurem eundemq; sanctiss. virũ tollit: inquit enim ipsum *non statuisse*, quod multi faciunt, *vt videretur optimus, verum vt esset*. At demus simulandi artificium nonnullis ad tempus saltem bene cessisse: accidit nihilominus illis quod mercatoribus, qui præsentis vtilitatis specie illecti, aliquem fraudant. Nam quamuis fraudulenter auertant, animo tamen securo non possident, & omnes sibi vias amplioris vtilitatis intercludunt, nemo commercium habere cum eo vult, quem simulare solitum scit: ipsi autem miseri ex inanitate

AElian. de var. hist.

tate pendent. Ex falsa enim voluptate, verus dolor exsistit;ex honore falso, verum dedecus exoritur;ex vtilitate falsa, vera pernicies sequitur. Omitto quod pietate illud Christianæ, quæ tota in simplicitate animi fundata est, maxime aduersetur.

Verum hodie laus est non vltima, fingere vultum
Et simulare probe: nec qui vel fallere nescit
Mentirive, feret sapientis nomen in aula.

Fundamento hoc iacto, in aulico *adsiduitatem & diligentiam* necessariò requiri dico. *Hæc præcipuè colenda est nobis,* inquit Antonius apud Ciceronem: *hæc semper adhibenda: nihil est quod non adsequatur. nam quæcunque sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, labore, vno verbo diligentiæ complectimur: qua vna virtute omnes virtutes reliquæ continentur.* Præclarum quidem est, etiam per fortunam inter nobiles admirationi esse: sed multo præstantius est industria sua, quicquid glorio-sum ac illustre sit, adeptum esse: illa enim sceleratis etiam interdum se obiicit: *huius autem* (vt bene Demosthenes) *societas & communicatio nemini adest, nisi qui generoso animo atq; forti excellat.* Queri sæpe aulicos videmus, quod quum summa obseruantia Principes suos venerentur, ab illis tamen minus diligan-

diligantur, qui fit? facilis responsio est, nam quemadmodum sol se habet ad subiecta ædificia; quæ quidem eodem lumine pariter illustrat, sed ea illustriora videntur, quę plures ac patentiores habent fenestras: sic Princeps aulicos illos clariores reddere consueuit, quorum ingenia per virtutem & summam diligentiam ad res gerendas magis idonea esse cernuntur. Recte Tacitus: *Quanto quis obsequio promptior, honoribus & opibus extolletur.* Fieri haud potest, vt Princeps, quem mandata sua diligentissime exequi cernit, eum præ ceteris non amet, non extollat, ei præ ceteris non fidat Demus aulicum haud recte quid fecisse; si diligenter factum apparebit, excusationem merebitur: non contra. Nullus enim est Princeps, qui sua negligenter tractari velit. adde quod negligẽtia, Principis contemtum præ se ferat. Neque quemquam labor, quia diligentia separari nequit, deterrebit. amaræ quidem radices; fructus autem sæpe dulcissimus.

Vt perfruare dulci, amari aliquid feras.

Facile generosus animus, quem labor ipse nutrit, qui noctes atque dies gloriæ stimulis concitatur, quem nulla difficultas deterrere, nulla vis labefactare potest; emicat ipse per sese,

——velut inter ignes
Luna minores,

quum interim tenebricosus ille alter, ignauia proiectus, lutulentis in vitiis tamquam sus in volutabro cœni, iaceat, nihil aliud quam putrida caro, saturandis vermibus reseruata: qui nihil dignum homine cogitet. Diligentia itaque (vt ad rem) id adsequetur Aulicus, vt suo sæpe Princips ministerio vtatur; cuius autem opera Princepes vti solent, eos præ cæteris quoque amore & gratia complecti consueuerunt. *Non mirandum est,* vt alibi Demosthenes, *eum qui lab. rem non detrectat, & rebus gerendis omnibus adest, neque vllam occasionem neque momentum rei gerendæ prætermittit, vobis negligentibus superiorem esse. Vigilando* (ait apud Salustium Cato) *agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt, vbi socordiæ te atq; ignaniæ tradideris, necquicquam Deos implores, irati infestiq; sunt.* Ceterum diligentem vocabimus Aulicum, qui à re sibi demandata oculos numquam deiicit: qui in id vnum incumbit, hanc vnam rem spectat, ne quid detrimenti Princeps capiat; qui nullis laboribus, nullis periculis parcit; sed potius in perpetua quadam vigilia manet qui si ad Principem forte alium mittatur,

natu-

naturam moresque Principis, eius vires, potentiam, ditionem, vectigalia & ærarium, coniunctiones & affinitates, omnemq; formam administrationis obseruat; vt & nomina illorum qui summum in aula illa locum tenent: idque tum aliis, tum etiam hac de caussa, vt si à Principe suo interrogetur, omnium rationem commode reddere possit caueat sibi tamen, ne speculator potius quã legatus videatur. Ex his sequitur, ea quæ nobis à Principe nostro mandantur, non solum summo studio curari debere omnia, sed neq; aliter quam mandata sunt. quod adeo verum est, vt etiam eadem (quantum fieri potest) verba seruanda sint, vbi verbis opus est. Hæc nimirum caussa est, cur Homerus legatos suos vno verborum contextu loquentes facit; quod & Virgilius obseruauit; apud quem Mercurius eosdem versus repetit:

Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem.
Quid struis?

Nec quamuis ita sint, quæri nihilominus video, An eo saltem casu fines mandati præteriri possint, si id ex re Principis fore existimemus; vt cum fortuitò aliquid in-

teruenit, quod mandati sui tempore Princeps ignorauerit. De hac quæstione, quia principes aulicorum opera in legationibus vti consueuerunt, & eius decisio, ad alia, quæ cottidie accidunt, trahi potest, liceat nobis fusius, quam instituti ratio postulat, agere. Dubitationem mouet, quod quia Principis mandato recedit, etiamsi ex malitia & superbia id minime agat, videtur dominum contemnere, vel se saltem suamque prudentiam maioris facere; quod odiosissimum est. Deinde (quod facile euenire potest) si res ei cui mandata est, ex animi sententia non succedat, culpa imparentiæ & pœna indeprecabilis subeunda est. quod si verò melius forte vertat, fortunæ id beneficium censetur. Itaque in rerum publicarum administratione non fuit impune ei qui contra mandatum Imperatoris, quamquam egregrie & feliciter rem gesserat. quod Manlius Torquatus domestico exemplo docuit *Triste* (subdit Liuius (*lib.8.*) *exemplum, sed in posterum salubre iuuentuti.* Vnicum *P. Ægel.1. 13.* Crassi Muciani adducam: qui cum in consulatu Asiam prouinciam obtineret, & in cuiusdam oppidi oppugnatione firma aliqua trabe ad arietem indigeret, ad architectum molis Atheni-

thenienſium ſcripſit, vt maiorem ex duobus malis quos apud eos vidiſſet, mitteret; qui re perpenſa, minorem, vtpote arieti faciendo aptiorem, contra quam iuſſus erat, miſit. ibi Craſſus hominem accerſiri, auditisq; rationibus, virgis cædi iuſſit. Seuere nimium; inquiet quis: architectus enim rem vtiliorẽ ex artis ſuæ præcepto ſe facturum exiſtimabat. nec tam verba quam ſcopum Conſulis intuebatur. Hæc concederem, ſi conſilium Craſſus petiiſſet, nõ obſequium. Architectus finem Conſulis ſcire non potuit. At de ariete ſcripſerat: nihil refert. id enim fortaſſe cõſilij ſui tegendi cauſa addiderat. *Corrumpitur* (inquit Agellius) *atq; diſſoluitur officium imperantis, ſi quis ad id quod facere iuſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non deſiderato reſpõdeat.* Ex his colligere licet, nihil agendum, nihil dicendum, præterquam quod à Principe imperatum eſt. Ego tamen distinctione totam hanc quæſtionẽ decidendam puto. aut enim tempus ei ſuppetit, quo Principem, eius quod de nouo emerſit, certiorem reddere, & alterum mandatum exſpectare poſſit: aut res ipſa nulla ratione differri poteſt. Illo caſu, non dubitarim quin res Principi aperienda ſit: pe- *Octav. Maggius.*

riculosum nimis est fines mandati egredi. Quod si negocium moram istam non ferat, in re quidem parui momenti, vtut res cadat, tutius est mandato adhærere: vix dici potest quantopere inobedientia Principibus displiceat Si verò res grauis sit, damna quæ inde emergere possint, diligentissimè perpendenda, & ne fallatur opinione, opera danda: illudq; postea consilium capiendum quod in manifestam Principis dignitatem vel vtilitatem vergat; cuius caussæ statim per literas Principi significādæ. Mahometes equidem Visir primus trium Principum Othomanorum, cum quibus pari gratia semper viguit, dicere solebat, *se nunquam etiam de re minima, quamuis sibi id licere sciuisset, inscio principe statuere voluisse.* Quod si vtilitas dubia sit, haud facile quid extra mandatum tentandum: ne si quid aduersi contingat, fama periclitetur. Solent enim vulgò non facta, sed euenta notare. Atque hæc de Aulici diligentia, vbi notandum, Minus adfectatam & ab ostentatione remotiorem diligentiam commendabiliorem esse: vt in Pisone rectè Paterculus notauerit; *Eum quæ agenda sunt egisse, sine vlla assentatione agendi.* vt contra: *Nimiam diligentiam*, id est, curiositatem, homines odio-

sos

sos reddere. *Curiosum* (inquit Cicero) *est, ea scire velle quæ ad nos non pertinent*: quod hominem vel leuem admodum, vel parum sincerum denotat. Non risum, sed bilem mouere solent ii, qui cum Principem cum altero quopiam submissius loqui animaduertunt, accedere propius (vt ipsi quoque quid noui dicatur intelligant) sed & in literas quas quandoque Princeps legit, capite inclinato oculos figere non verentur. Recte Socrates: *Vt ab iis eduliis quæ ad edendum etiam nō esurientes illiciunt, cauendum; & à potu, qui etiam non sitientes ad bibendum inuitat: Sic fugienda sunt spectacula sermonesq;, qui pelliceunt sui desiderio eos ad quos nihil attinent*, id est curiosos. Sapienter Philippides Lysimacho regi percontanti, *Quid tibi meorum communicabo? Quidlibet* inquit, *modo ne arcana. Periculosissima res est arcana Principum cognoscere: vbi si quid cognoscitur, prodi vel ab alio formidatur*, ait Cassiodorus. Et quia de *arcanis* mentio facta, dicimus Aulicum Principis arcana, tum vel maximè sibi commissa, nemini reuelare debere.

Arcanum neq; tu scrutaberis vllius vnquam,
Commissumq; teges & vino tortus & ira.

Vetus Regum disciplina silentium vitæ periculo

riculo ſanxerat : lingua meritò magis caſtigatur quam vllum probrum : ideo Perſæ arcana Regum mira celant fide : non metus, non ſpes elicit vocem qua prodantur occulta, *Nec magna ab eo res ſuſtineri poſſunt, cui tacere graue ſit; quod homini facillimum voluerit eſſe natura*; vt ait Q. Curtius. Ridiculi plane ſunt qui, vt magna ſe in gratia apud Principem eſſe oſtendant, quid quolibet die in Principis cubiculo factum ſit, ad exemplum Thraſonis Terentiani referre gaudent. alij inter pocula omnia referunt: quod Tiberio, maximo licet ſimulatori, vitio datum eſt. (*Sueton.*) Quanto melius Zeno? Regios legatos Athenis conuiuio exceperat quidam, adhibitis etiam Philoſophorum plerisq;, quum autem (vt adſolet) multa hinc inde dicerentur, Zeno interim tacitus ſingula obſeruabat tum legati feſtiuiter ſubblandientes ac propinantes. inquiunt, *Regi quid vis renunciari?* At is: *Senem à vobis conſpectum Athenis, qui inter pocula ſeruare ſilentium poſsit.* Recte. Difficilimum eſt è manu emiſſam auram recipere: ſed dictum ſemel ab ore profectum, quod multarum ſæpe cladium cauſſam præbet, difficilius. *Non vt nauem arreptam fluctibus* (ait Plutarchus)

Plutarchus De garrulitate.

tarchus)

tarchus) *anchora licet sistere : ita verbum è portu velut in altum missum.* Vnde est illud: *Qui custodit os suum, custodit animam suam : qui inconsiderate loquitur, sentiet mala.* Laudis est, benè loqui, non minoris laudis, bene silentio vti posse. M. Muretus.

Multum ille adsecutus est qui bene didicit loqui:
Qui bene tacere, non minus adsecutus est.

Aristoteles cum Callisthenem *Val. Max.* discipulum ac propinquum suum ad Regem Alexandrum mitteret, hoc vel præcipe impetrauit, *vt quam rarissime & iocunde admodũ apud eum loqueretur, qui vitæ necisq; potestatem in acie linguæ haberet.* quod tamen monitum à Callisthene spretum, ei exitium attulit. (*Q. Curtius.* *Quæ debebat, dicebat; sed non quomodo debebat, grauis fuit,* ait Arrianus. Præclarum hoc nonnulli existimant, si nunquam sileãt; cum id certissimum fatuitatis signum sit: vt illud Epicharmium non inscite se habeat de eo, *qui cum loqui non posset, tacere non poterat.* vt contra, silentium, vbi loquendi tẽpus non est, prudentiæ est indicium. (Seneca in Thyeste.)

Bene institutum os, pulcra harmonia est auribus.
Tacere multis discitur vita malis.

Restat vnum, cuius Aulicum nostrum ad-

 moni-

monitum velim, vt, ſi contingat ipſum de priore domino (ſi quem forte habuit) interrogari, eius non minus honorificam mentionem faciat, quam ſi ei adhuc obſtrictus viueret. Neque ab hac regula dimoueri ſe patiatur, vt ſcilicet vel ei maledicat, vel cõqueratur, licet id poſterioris heri auribus jucundum exiſtimet; alioqui in duo inconuenientia incidet: vnum, vt Princeps ſibi imaginetur, idem ſibi ab ipſo ſucceſſu temporis exſpectandum: alterum, vt putet ſua culpa factum quod ſplẽdidius ab altero habitus non fuerit: quorum neutrum ad Principis gratiam captandam aut conſeruandam facit. Iam pergo. Et quando non aliter ac radius à Sole, calor ab igne, rigor à glacie, candor à niue ſeparari nequeunt: ſic nec ab amore diuelli poſſunt beneuolentia, ſocietas, neceſſitudo, concordia. hic enim eſt amabiliſſimus amicitiæ nodus, princepsque ad beneuolentiam conglutinandam. Quandoquidem, inquam, nihil magis animos conciliat quam amoris indicium, operam det Aulicus noſter, omnesq; neruos eò intendat, vt intelligat Princeps ſe ab illo amari. *Amor* (iuxta prouerbium) *amorem gignit.* Inhumanum eſſet non eos viciſſim diligere,

ligere,

ligere, non eos fouere, à quibus te non mediocriter amari perſpicis. *Nihil eſt*, (ait Cicero) *enim remuneratione beneuolentiæ iucundius*. Huius porro erga Principem beneuolentiæ & adfectionis, quotieſcunque occaſio ferat, ſigna velim edi. Vt aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici ſolet. Non ſolum in iis quæ maximi momenti ſunt; vt ſi pro Principis ſalute vitam exponere, aut alia incommoda ferre conueniat: ſed & in cæteris rebus vilioribus licet, ſi neceſſitas poſtulet. Huic rei ſumme proderit Principis naturam, & eorum quibus vtitur familiariter, non minus quam ſuam noſſe, & quo inclinent obſeruare. Suo enim quemque ſtudio maximè duci perſpicuum eſt; ac nonnullos quidem paleſtra, alios militia, quoſdam aucupium & venatio, alios muſica, alios literæ delectant. Igitur vt olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noſcenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur, ſenatusq́;, & optimatium ingenia, qui maximè perdidicerant, callidi temporum & ſapientes credebantur: ſic conuerſo ſtatu, (vt rectè Tacitus) neque alia rerum, quam ſi vnus imperitet, hæc conquiri tradiq́; in rē fuerit. *Lib.* 11.

Ari-

Aristoteles quàm Alexandri ingenium cognitum habuerit, historiæ multis exemplis docent. Tacitus Seiano summam morum Tiberij peritiam tribuit, & alibi: *Erant*, inquit, *cogitationum Principis periti.* Amoris signa & hæc sunt; non solum Principem ipsum, sed eos omnes quos Princeps obseruat vel amat, honore adficere & diligere, ac se deniq; totum ad Principis ingenium fingere, ita vt cũ illis versari caueat, quos Princeps suspectos habeat. Verum duo hic tamquam scopulos vitari moneo; ne scilicet vel *adulari* videatur vel *adfectare. In obsequio* (vt Ciceronis verbis vtar) *comitas adsit: adsentatio, vitiorum adiutrix, procul amoueatur.* Est adulatio indicium animi angusti, mendacis, ignaui, seruilis, futilis, humilis, abiecti, qui priuatis odio, Principibus verò summo detrimento est, quos infatuare solet, immo & in exitium sæpè trahere. Itaque quemadmodum in eũ qui in publicum fontem, vnde omnis ciuitas aquam ad bibẽdam haurire consueuit, venenum spargit, seuere inquiri videmus: sic etiam in eum qui Principem sua adulatione corrumpit, & ab æquitatis studio ad iniuriam, à continentia ad libidinem traducit, quouis licet magno supplicio animaduertendum. Nonne Princeps

ceps quaſi fons quidam eſt, vnde leges acci-piuntur. iudicia poſtulantur, virtutis exem-pla petuntur; à quo auxilium contra perdi-tos homines imploratur, & vir-tuti præmium flagitatur? Alte-rum quod Aulico fugiendum dicebamus, eſt *adfectatio*, quam non adeo odioſam quidem eſſe patet; leuis tamẽ, immo ſtulti animi in-dicium magnum. Sed & habet nimia iſta di-ligentia nimia iſta ad Principis voluntatem & ſtudium accommodatio, ſpeciem ſimula-tionis; à qua longe nos ſemper abeſſe opor-tere, paullo ante diximus. Hæc non ita in-telligenda, quaſi ex Aulico ſtatuam facere velim. reperiuntur nonnulli, qui, quicquid accidat, ſiue Princeps rideat ſiue doleat, ipſi truces manent: non aliter ac ſi cum Principe pugnis decertare in animo haberẽt. *Vt echi-nus*, inquit ille, Nazianz. *in ſpinis ingreditur, quod ſpinas ſecum circumferat: ita quibuſdam in omni negotio acerbitas eſt: propterea quod animo ſecum adferant aſperitatem, etiamſi res ipſa nihil habeat incommodi.* Eſt reuera moroſitas iſta inimicitiæ ſimilis, quemadmodum contra adfabilitas amicitiæ. Quis dubitat in rebus proſperis congratulationem optime anima-ti viri indicium eſſe: vt contra, eum qui Prin-cipi

Agapetus Diaconus

cipi prosperos euentus nō gratulatur, suspectum se reddere, & male rebus præsentibus animatum? *Hoc proprium est* (ait Cicero) *animi bene constituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrariis.* Quibus duo hæc addo: vnum, ventos secundos nō semper in aulis Principū spirare quare vbi spirant, arripiendā occasionem:

Fortuna adest, sterte ac reformida nihil.

alterum, si quid à Principe petere decretum sit, ea præcipue petenda, quæ Princeps sine suo magno sumptu largiri potest.

Iam paucis quid *in æqualium conuersatione* Aulico notandum sit, persequamur. Primo autem omnium, consultum est vt ea vitet, per quæ inæqualium offensionem facile incurrere potest. nam offensio, iram parit: ira, est acris animi vis, specie dedecoris & contemptus vehementius ad vindictam concitata. *Contemtus formæ*, secundum Aristotelem, in Rhetor. *tres sunt, contemtus siue despectus, incommodatio, & contumelia.* Nam & despiciens contemnit, quæ enim parui facimus, ea despicimus, ea contemnimus. Sic qui incommodat, contemnit: quia incommodatio est impedimentum voluntatibus oblatum, non vt aliquid sibi, sed ne illi. Postremo & qui contumelia adficit, contemnit:

nit: quia contumelia est, nocere & damnum adferre in iis rebus in quibus dedecus suscipit ille qui patitur, non vt aliquid sibi suppetat aliud, quam quod suppetit; sed vt voluptate adficiatur. Ad primam speciem referuntur illi quos sui oblitos, æqualium sæpe pudet, eosque non nosse simulant; vt & ij quos si de tuis præcipue rebus alloquaris, aliis intenti, quid dicas non attendunt; item ij, quos si per vrbem comiteris, & splendidioribus vestibus indutus quispiam forte occurrat, confestim, etiamsi nullum iis expediendum negocium sit, hominem accedunt, horasque integras perdunt; te interea, vt exspectes, relicto. Ad secundam formam spectant, qui publicis in locis pudore aliquem adficiunt, trudendo puta, de loco mouendo, pileum abijciendo, item ij qui aliorum commoda obstinate impediunt, licet nullam inde vtilitatem sentiant; adde irrisores & scommata iacientes: non loquor de ijs qui loco & congruè dicterio vtuntur; sed de iis qui non lacessiti, sed destinate rodendo alterum, risum adstantium captant: & *qui sæpe amicum quam dictum perdere malunt*, quum multo

(*Castill. lib. 2.*

(*Quintil. lib. 6. cap.* ...

tutius

tutius ſit etiam ſalſe dictum perdere, quam auctoritatem minuere. Semper diligenter conſiderandum, & quis, & qua cauſſa, & apud quem, & in quem, & quid dicatur. Vitandum itaq; ne petulans, ne ſuperbum, ne loco, ne tempore alienum, ne præparatum, ne domo allatum videatur quod dicimus. Aduerſus miſeros inhumanus jocus eſt *Caſtill. lib. 2.* Male etiam dicitur quod in plures conuenit: ſi aut nationes totæ inceſſantur, aut ordines, aut conditio, aut ſtudia multorum. Huc pertinet vaniſſimum genus hominum, qui vt Vniuerſales (ita enim hodie ab Italis vocantur ij, qui de qualibet re propoſita cum judicio diſſerere valent) videantur, impudenter ſe doctorum colloquiis immiſcent, ea interrumpunt, &, quicquid proponatur, contradicere, & quod ſemel dixerunt, mordicus, licet ſine ratione, defendere non verentur. Ad poſtremum membrum vocantur, qui iniurioſis delectantur verbis, nulla ſæpe de cauſſa. Sed & ij qui alios debito honoris titulo fraudant, contumelia adficere iudicantur. Ab his igitur omnibus diligenter ſibi caueat Aulicus per quam neceſſe eſt; niſi omnium in ſe odium concitare volet. Exemplis in re tam aperta non eſt opus: quin potius erga o-

mnes largiſſimus eorum præcipue officiorum ſit, quæ ipſi nihil aut parum adferunt impendii. Alterum non minus Aulico neceſſarium eſt, vt *adulatores*, quorum plurimos aula gignit; *Ouid.*

Agmen adulantum media procedit ab aula,

fugiat. Hi enim ſe tum aliis, tum hac etiam de cauſſa inſinuant, vt ſecreta explorent, conatusq; tuos data occaſione impediant; iſtos ab amicis diſcernere, difficile admodum eſt: nam quemadmodum Quintilianus ait, *præcipuum artis eſſe, ipſam artẽ celare:* idem illi obſeruant, tumq; maxime adulantur, cum minus id facere videntur. nam & reprehendere & vituperare audent. Non omnem eſcam amant piſces, ſed alius alia delectatur; vnde piſcatores, gnari quam quiſq; magis appetat, ea potiſſimum obiecta fallunt. ita adulatores, deprehenſo hominis ingenio, quibus rebus deliniatur, à quibus abhorreat, quod illi gratiſſimum intellexerint, eo potiſſimũ captant illum. Nihilominus, ſi Aulicus ſemetipſum vndiq; circumſpiciat, & iuxta Apollinis vel ſapientiæ potius oraculum ſe recte noſſe diſcat, inque veros amicos inquirat facile adulatorum artificiũ deteget. Vt medicus operam dat, quo ſanitatem tueatur &

augeat

augeat: ita amicus aliter adulator; qui lacerosas tantum partes titillat. Qui igitur ingenium tuum subinde laudant, virtutem efferunt, vrbanitatem extollunt, humiles ac demissi videntur, honorum exhibitione salutationibus prodigi sunt, ne dubita eos suspectos habere; sed & eos qui vitia tua proximis virtutibus tegunt.

Fallit enim vitium specie virtutis & vmbra:

qui ignauum & timidum, cautum; temerarium, fortem; crudelem, seuerum; negligentem, clementem; prodigum, magnificum vocant, & in os laudant: neq; tamen semper, vt neq; omnia apud omnes, vituperant. Adde eos qui nihil, licet turpissima petas, denegare audent, in hos si diligenter animaduertas, facile fucatos à veris amicis separabis

Hunc quem vina tibi, quem mensa parauit amicũ
Esse putas fide pectus amicitiæ.
Vinũ amat & cyathos, & summa & ostrea, nõ te:
Sublato vino, nullus amicus erit.

Si igitur in amico deligẽdo cautus, ita tamẽ, vt & cæteros amore & honore prosequatur: quod facile fiet, si humanus, liberalis, adfabilis, suavis & iucundus cum istis erit: erga illos etiam vere gratus & officiosus. Perplacet Gemini Seruili descriptio apud Eunium.

Dul-

Dulcis, fidelis, suauis homo, facundus, suoq;
Contentus, atq; beatus, scitus, secunda loquens in
Tempore, commodus, & verborum vir paucorum.

Atq; hæc ferè sufficiunt. Diximus quibus disciplinis instructum aliquem esse, antequam aulæ se dedat: quo pacto aulicum se iam factum erga Principem, quo item erga æquales gerere oporteat: superest vt quibus ipse *virtutibus* pollere debeat, dispiciamus his enim nihil est quod magis homines ad diligendum alliciat. quippe quum *propter virtutem & probitatem* (vt recte Tullius) *eos etiam quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.* Et alibi: *Conciliantur animi hominum dignitate, rebus gestis, æstimatione vitæ, abalienanturq; ab ijs in quibus hæc non sint.* Quis enim est qui desidem & ignauum non despiciat? quis libidinem, auaritiam, perfidiam, crudelitatem nõ oderit? Nemo tam malus est, qui si vtrumuis licuisset, non multis partibus maluisset ad ea quæ scelere consecutus est, sine scelere peruenisse, eos enim ipsos qui se vitiis dediderunt, tam grauiter offendit suscepti flagitij turpitudo, vt sibi ipsis odio sint. Iuuenal.

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi
Displicet auctori: prima est hæc vltio.

Et

Et quamuis omnes virtutes nos ad se alliciant, faciantq; vt eos diligamus, in quibus ea inesse videntur: aliæ tamen alios magis decent. Magnificentia (exempli gratia) Principi conuenit: plebeio non item. Primo autem, quia Aulici variis casibus sæpe agitantur, illius Gymnosophistarum instituti, meminisse Palatinus debet, qui patientiã adeo homini necessariam existimarunt, vt nõ ante quenquam in collegium admitterẽt, quã diligentissimè explorassent, an esset tolerantissimus. Quamuis autem hæc virtus omnis generis hominibus conueniat, vt quæ prudentiæ est conciliabulum & quasi fermentum, fortitudinis instrumentum, moderationi vero quid aptius? quid propinquius? in aulico tamẽ maximè necessariam esse vsus docet. Hæc vna virtus, altera est fortitudo. Palatinum nostrum omnino *forti animo* esse velim, vt si res postulet, animo intrepido se periculis pro Principe, pro patria, vel pro se ipso offerre possit. Seneca.

Numquam Stygias fertur ad vndas.
Inclyta virtus: viuite fortes.

Notũ est illud eiusdem Senecæ in Herc. fur.

Quemcunq; fortem videris, miserum neges,

Vt enim palmę arboris ramus imposito onere, non

re,non deflectitur in terram, ſed enititur,& vltro aduerſus ſarcinæ pondus erigit ſeſe:ita *viri fortis animus,quo plus negotiis premitur, quoque magis ſæuit fortuna, hoc eſt erectior* : vt eleganter Plinius: Non igitur extimeſcat Aulicus noſter,quidquid ei contingat;ſed iudiciũ firmũ ſeruet, caſus aduerſos ſapienter ferat, nihil vmquam timido fractoq; animo faciat, *Tunc maxime audendum aſperæ cũ res premunt.* ita tamen vt *modeſtiæ* non obliuiſcatur:

Nulla aſpis æque atq; ambitio animum necat. Solet vt plurimum ex ſuorum bonorum cum aliis collatione ſuperbia naſci: quam non ſine cauſa *morbum ſacrum*, ab Heraclito vocari ſolitam,legimus,quod prȩſtantiſſimus quiſque ea peſte implicetur;imprimis regiæ potentiæ miniſtri, quos delectat ſuperbiæ ſuæ longum ſpectaculum: minusq; ſe iudicant poſſe, niſi diu multumq; ſingulis quod poſſint,oſtendant.*Nihil confeſtim* (ait Seneca) *nihil ſemel faciunt.Iniuriæ illorum præcipites, beneficia lenta ſunt*:ab hac nobis, ſi omnium odium euitare cupimus,diligenter cauendum:præcipue verò à iactantia.deforme eſt de ſe ipſo prædicare falſa· præſertim & cum audientiũ irriſione imitari militem glorioſam.

Contemta tempore ſæpè creſcit gloria.

Porrò

Porrò quia imitatrix boni voluptas, malorũ est mater omnium, cuius blanditiis quæ natura bona sunt, corrumpuntur: (vnde non minus verè quam eleganter Tullius. *Qui voluptatibus ducuntur, & se vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt, missos faciant honores, nec attingant Rempublicam, patiantur viros fortes labore, se otio suo frui*) omnino Aulicum *temperantem* esse oportet. *Temperantia*, (inquit Seneca) *voluptatibus imperat: alias odit atq; abigit, alias dispensat & ad sanum modum redigit, nec vnquam ad illas propter ipsas venit, scit optimum esse modum cupitorum* (Plutarch. *non quantum velis, sed quantum debeas sumere.* Xenophanes, *nihil in homine mali nasci posse dixit, qui temperantiam amplexus fuerit.* neq; enim temperatũ blandissimæ voluptates vnquam decipiunt: hic à rebus alienis manus, oculos, mentem cõtinet: hic nullis vitiorum illecebris irretitur: hic parce, continentur, seuere, sobrie vitam agit, neq; vlla luxuria diffluit. adde quod hæc virtus bonæ quoque valetudinis mater; vt cõtra, intẽperãtia morbos gignit; sed & omniũ in se odium concitat. *Duæ res sunt* (ait Cornificius ad Herenniũ) *quæ maximè homines ad maleficium impellunt, luxuries & auaritia. Lethale mulsum scorta sunt; fuge si sapis.*

pis. Caius Gracchus cùm ex Sardinia rediit, orationem ad populum in concione habuit, inter alia & hæc eius verba fuerunt: *Ita versatus sum in prouincia, vt nemo posit vere dicere assem aut eo plus in muneribus me accepisse: aut mea opera quemquam sumptum fecisse. biennium fui in prouincia: si vlla meretrix domum meum introiuit; omnium nationum postremissimum nequissimumq; existimatote &c.* Iuuenal.

Viuendum recte cum propter plurima tunc his
Præcipue causis, vt linguas mancipiorum cõtemnas.

De nimia vini ingurgitatione, Senecæ prudentissimi viri verba hæc addo, & finem facio: *Omne vitium ebrietas & includit & detegit: obstantem malis conatibus verecundiam remouet: vbi possedit animum nimia vis vini, quicquid male latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, sed protrahit: tum libidinosus ne cubiculum quidẽ expectat, sed cupiditatibus quãtum petierint permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet: Crescit insolenti superbia; crudelitas sæuo; malignitas liuido. adiice istam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum dum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circum-*

cumagente totam domum, stomachi tormenta cum efferuescit merum, ac viscera ipsa distẽdit, tunc tamen vtcunq; tolerabile est, dum illi vis sua est: quid cum somno vitatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta est? Sed & cogita quas clades ediderit ebrietas Hæc acerrimas gentes bellicosissimasq; hostibus tradidit: hæc, multorum annorum pertinaci bello defensa, inania patefecit: hæc contumacissimos & iugum recusantes in alienum egit arbitrium: hæc inuictas acies domuit. Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victa temporum locorumq; difficultate transierat; tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria, tutum admiserunt; intemperantia bibendi perdidit. Dic ergo quare sapiens non debeat ebrius fieri?&c.

Sapientem facit insipientem temulentia.

Hæc habui, Nobilissime FRIDERICE, quæ in præsentia de *Aulico* differerem: & vereor sane, ne vlterius quam tecum par est, in scribendo prouectus sim. Sed quicquid id est, quod gratificandi desiderio factum, & in lucem emissum, boni consule, & maiora, cum inseruiendi tibi maior aliqua facultas exsistet, & officia & studia à me exspecta.

FINIS.

AVLICVS

POLITICVS:

DIVERSIS REGV-
LIS, PRAECEPTIS SIVE
vt ICtus IAVOLENVS loquitur,
Definitionibus ſelectis, videlicet
CCCLXII. Antiquorum & Neote-
ricorum prudentiæ Ciuilis
Doctorum instru-
ctus:

CVRA ET OPERA.
DVRI DE PASCOLO.



PRÆFATIO LECTORI S.



Olitica, Discursum si tractaueris, quamuis nec peritis nec imperitis satisfeceris: hi enim neq; rectè eligunt, neq; probè diiudicant: illi ipsi pro tempore, & re in arena nata, de iis tanquam non perpetuis differere norunt, & inde plus nudis thesibus & theorematibus tribuendum esse multi exercitati existimarunt. Tamen vt peritorum & imperitorum auiditati satisfiat, Theses non Theses, exemplo Guicciardini, Lottini & Sansouini præmittere aulicas voluimus: hac cautione præstita, vt eædem exemplis ex historiis petitis, stipatæ & illustratæ, si negotia & vita inducias dederint, sequantur: interim iis facultatem & copiam perpendendi istas diligentius & inspiciendi accuratiùs, relinquimus, quibus hoc facere libuerit, & gratum fuerit: ita tamen, ne cogitationes excitentur impiæ, absurdæ & nocentes: neve corrumpantur iudicia: & ne deniq; omne genus peruersitatis & pro-

profanitatis inducatur. Autor, si & hoc scire aues, sæpè in hoc libello ex proposito ταυτολογεῖ, & interdum non persequitur eo ordine, quo instituit, nec exactè & superstitiose bilem & leges Logicorum obseruat. Rogat itaque, ne quis propterea opusculũ fastidiat: quod nemo faciet, qui nouit aulica raro ordine bono tractari: & magnos viros rem ipsam spectare, non verba captare, quod est ex sententia Pauli I.C. calumniari, & solidè doctos artemque sapientiæ tenentes, istam curiosam inquisitionem detestari. Vale.

PP. Eremitarum Camaldulensiũ Montis Regij ... Varsaviam.



AVLICVS.

I.



Xpendat Admonẽtibus prudentiæ magiſtris, qui ſe dicare vult Principibus, an ſemper occupatus, infelix ſurgere, labores aulicos tolerare, afmem perpeti, ſitim ſufferre, inuidiam, calumniam & contumelias æquo animo ſuſtinere. honores, famam immortalem in ea aula quam ingreditur, potentiam, diuitias, voluptates adquirere: &, quod primum eſt, pietatem exercere, animæ beatitudinem lucrari: &, quæ Deo grata ac Reipublicæ ſalutaria ſunt, gerere, queat.

I I.

Aulicus vir bonus, etiam optimè de Principe meritus, vix poteſt inuidiam & euerſionem effugere: carceres & alias calamitates, tùm ad minimum viciſſitudines aulicas. Exemplum memorabile, vt de veteribus nihil dicamus, & miſerabilis caſus, habemus in Papiniano, Petro de Vineis, Moro. Aluaro de Luna, Iacobo Corde, Otthone Crondorfer, in Columbo, quem fœdè Bambadilla euertebat,

tebat, in Cominæo, Bussono, Consaluo, & alijs infinitis: nec desunt exempla & documēta in aulis principum Germanorum, vetera & recentia.

III.

Itaque si hæc & alia, quæ aulici scriptores recensent mala, timeat, aulam fugiat & priuatus viuat: qui, licet & suas sentiat difficultates, tamen opinione hominum nihil præstabilius mediocri vitæ genere priuato: quod qui assequi, & tueri potest, is Cominæo videtur felicissimus:

Felices quibus obtigit
Sors, nec summa, nec infima:
Sed sanè modica: & quibus
Castos annuit aurea
Nancisci thalamo Venus,

inquit Eurip. Et aureum Senecæ illud:

Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

Eleganter elegans, eruditissimus & grauis Poeta:

Præstat supellex sobria,
Recteq; parta recula:
Quam rapta per vim, diuitum
Fastidiosa copia.

Quod vulgariter exprimunt:

Cum dat oluscula mensa minuscula pace quieta,
Ne pete grandia: lautaq; prandia lite repleta.

I V.

Consideret & hoc? *Paucos in aulis bonos inueniri.* Est enim tralatitium, ad aulam & bellum paucos bonas artes adferre: & barbarè, tamen verè veteres dixisse:

In aula Regis, non est multum legis:
Si qui sunt boni; coguntur esse ὄνοι:
Si qui sunt mali, sunt in gratia regali:
Si qui sunt cæteri, fermè sunt bibuli.

V.

Animus tamen est, qui vitam aulicam, vt omnem aliam vel suauem, vel molestam, & acerbam reddit, & qui commendat omnia, à quo, si vir bonus impetrare potest, aulæ pelagum & mare inquietum, in quo infinita sunt monstra, magno & erecto animo, Dei ordinationem perpendens, ingrediatur, effœminatorum hominum Philosophiam, simulatam & momentaneam contemnens.

V I.

Licet Basilius Magnus, Petrarcha, Antonius de Gueuara, multique alii, vitam priuatam & solitariam suauiter & eruditè commen-

men-

mendent toto tamen cœlo aberrat, qui vitam priuatam solam per se beatam existimat. nullum enim est tàm insulsum & impium factum, quod autore careat inter priuatos: & priuati, ruptis ll. formulis, ruptis veritatis & honestatis repagulis, partim inscitia, partim improbitate, quicquid volent agunt. Et nunquam prudentia & beatitas humana meruisse potuit, vt id quod naturæ vniuersæ communiter accidit, in eo quis priuatam aliquam præ cæteris felicitatem sibi polliceatur: nisi solo animo aduersa corrigat. De omnibus enim tàm priuatis quàm aulicis dictum:

Maledicta terra in opere tuo: in sudore
vultus tui vesceris pane tuo,

Et illud:

Ambitiosus honos & opes & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino numine, Mundus habet.

Non itaque aulam, sed mundum vniuersum fugiat, qui beatam vitam quærit.

Væ soli homini: solus homo est pecus Deus vel:
Te animo populis subtrahe, non pede. atque dura.

VII.

Verum postquam sit

Aula locus, fortuna suos, vbi lubrica ludos
Ludit, & eludit nunc hos, nunc deÿcit illos:

Is qui aulam ambit, hiſtoriarum & linguarum cognitione, eloquentiæ & iuris præceptis benè inſtructus (de tali enim agimus) in principio Principium, videlicet Deum Opt. Max. ardentibus votis pronus inuocet: vt in vaſtiſſimo pelago ac monſtrifero inter Scyllam & Charybdim nauigantem, gubernare & cuſtodire velit, ne aulicus plus creaturam: hoc eſt, principem: quàm creatorem Deum, colat: ne cuiquam noceat, ſed ſua & neceſſaria agat: & tandem ad portum æternæ, & cœleſtis aulæ perueniat: cotidiè clamans ſeriò:

Tu rege conſiliis actus, pater optime, noſtros:
Noſtrum opus vt laudi ſeruiat omne tuæ.

VIII.

Aulicus diuina gratia & ope munitus, legitimè inter aulicos cooptatus, reliqua credat Deo: ipſe viam inueniet facilem, & rem omnem ita diriget, vt aulicus feliciter enatare & viuere poſſit. Aulice

Crede Deo te, remq; tuam, & ſpe falle dolorem.

Euentus pia fata dabunt: prece victa, secundos.

Sic:

Fert placidè casus, nec ab ordine cedit honestas.

IX.

Deinde cùm ex ſententia Egeſippi, dignitate dominantium, miniſtrorum obſequia ornentur, & viuere ſub principe potentiſſimo libertas ſit, Luca de Penna referente: quærat potiùs, potentiſſimi Principis, quàm infirmi: & libentiùs prudentiſſimi, quàm potentiſſimi aulam.

X.

Ex ſententia Scaligeri iſtius Magni,

Aulam reperit qui bonam, & vtilem & fidelem,
Me autore ſequatur, duce me meq; ſequente
Si quis queritur, nec fugit, huius miſerebor?

XI.

Aulicus tanquam exercitatus Medicus, debet præuidere in exordio vitæ aulicæ, quid ſperandum, quidue timendum ſit in aula: neque plus timere, neque plus ſperare, quàm conuenit. Facile enim poteſt cogno-

scere, spes num sit ponenda in augmento vel declinatione: quo cognito, prognosticon instituat & consilia dirigat.

XII.

Quàm diu hæret in aula, det operā Principibus esse subiectissimus.

Danda opera est magnis, sed non cum vulnere mentis:
Danda opera est magnis, sed comitante metu:
Et assuescat quātum potest malis. Scalig.
Præsenti animo compositus perfer & iusta,
Assuesce malis, quo domites necessitates:
Non te mala lædent: nisi te ea lædere dicas:
Aduersa acuunt magnanimum, prospera mollem,
Labor ipse laborē abdicat, dolor dolorem.
Suiq; Dominus semper maneat.
Tete capere, effundere te, patiq; disce:
Te cogere, laxare, repastinare: sic te
Cogens, neq; cogis, neq; cogeris coactus.

XIII.

Cùm verò miserabilis sit Aulicorum conditio, inprimis si post maxima pericula & labores domi & foris exantlatos, tandem fraude & calumniis scelestissimorum & impudi-

co rabulę & canis curiarum, ore, debent ea-dere, benè sibi prospiciant aulici, in exordio, cum Principibus contrahentes, & formam obligationis amicis in aliis regionibus degentibus, tradant: ne tempore necessitatis (vt fieri solet) repetatur, & probationis materia auferatur.

XIV.

Cùm Principes vt plurimum libertatem dicendi ferre non possint, & vindicta libera vota corrigant: mirum non est, plerumque deesse, qui illos ex animo & syncerè moneant: cum, P. Camerario referēte perpauci inueniantur, vel propè nulli, qui ipsos, ac non fortunæ splendorem, & suas commoditates sequantur.

XV.

Bonus Consiliarius aulicus, non debet tamen celare veritatem Patriæ & Principi vtilem: etiam si in periculum vitæ inciderit. Melius enim est & laudabilius perdere vitam, quàm supprimere salubre consilium. & mortuum veracem plus diliget Princeps, quàm adulatorem viuum: & hæredibus mortui, compensabit iustus & prudens Princeps.

XVI.

Bonum aulicum Consiliarium nec tempus immutat, nec rumpit necessitas, nec insolentia exulcerat, nec improbitas malorum hominum defatigat Sed cum Socrate, semper idem manet.

XVII.

In aula periculosum est dicere veritatẽ: maximè in ijs rebus, quas Princeps prudens discernensq; fideles ab infidelibus consiliarijs, & diiudicans quæ sit in contrariis sententijs potior, constituit aggredi : & quas tanquam vtiles & honestas probat. nam si feliciter successerint, amittit aulicus autoritatem & gratiam : si tacuerit, & consilia finem non sortiantur optatum, tanquam perfidus accusatur;

Consultius itaq; semper viriliter dicere sententiam, quàm tacere.

XVIII.

Non enim ad horæ momenta dicere sententiam debet ; verum ita vt post mortem principis eam tueri, & patris Consilia post multos annos liberi defendere possint. Paucis enim natus est ; qui consilia ætatis suæ tantum cogitat.

XIX.

Auli-

Aulicus primum proferens votum, in publicis deliberationibus caueat, ne ille feli statim primus tintinnabulum appēdat. Difficilis enim & periculosa est in omnibus actionibus prima vox: prudentiori subsecuto adhæreat, eique cedat: ita tamen,

Ne consilijs alterius regi recuses:
Esto illius, atq; esto tuus, tuum serua
In posse tuo velle, modum in velle alieno.

X X.

Aulicus Consiliarius apertus in rebus periculosis & grauibus apertè, in causas descendere, nec hûc vel illûc interpretationem trahere, vel incerta differere, prout conducit: sed scapham scapham, appellare debet.

X X I.

Aulicus ingressus aulam, discordias inter aulicos deprehendens, nulli adhæreat parti, & se neutralem conseruet: vel eligat illum, qui maiori prudentia vel firmioribus fundamentis nititur. Nam hic æmuli potentiam facilè franget & ipso iure: quamuis regulariter neutralitas sit fugienda.

La neutralità non assicura da nemici
Et questa non conserua gli amici.

X X I I.

Aulici oculati esse debent, & nunquam

sine

sine suspicione degere, nec facilè cuiquam credere: quantumuis in speciem amico nec arridenti, nec complexanti, nec vt ait Erasmus, *deieranti*.

Fide parum, multumq; vide: nam fidere multum,
Et vidisse parum, maxima damna parit.

Lepidè Scaliger.

Clarissima sententia confidere paucis.
Sed clarior est altera: confidere nulli.

XXIII.

In quacunque aula vixeris, noli summa nec infima ambire: in medio tutissimus ibis. Potiùs ad summum vel imum, quam in summo vel imo. Extrema caue,

———medijs tranquilla triumphant.
Si sapis, affectes, mediocria, summa pericli
Obuia: contemptum sordida vita parit.

Item:

Si sapis, alta fuge, aut timidè vtere luce potentum:
Concidit in puncto gratia longa breui.

XXIIII.

Qui arduis negotiis expediendis, cũ magnis Principibus versantur, similes sunt per prærupta repentibus, semper timent, sæpè titubant, & subitò corruunt. Itaque

Contrà Rhodanum ne stolidè natare tentes:
Contrà Boream ne temerè flare ruentem:
Contrà Pelagi streperum clamare tumultũ:
Contrà ensiferum rabie certare Tyrannum.

inquit Scaliger.

XXV.

Aulici itaque stulti sunt, qui opinantur existimationem saluam esse non posse, nisi in illorum manibus negotia recumbant:

Si aliorum exemplo saperent, inprimis arcana negotia fugerent, nudis libellis supplicibus expediendis contenti: adhibiti grauioribus, rarò felicem & perpetuum cursum etiam prudentissimi sortiti sunt.

XXVI.

In primis videat Aulicus ne nisi coactus mandatis & iussionibus se immisceat Principum matrimoniis, & arcanis solus. Experientia enim testatur, proxenetas nuptiarum & arcana aliis exclusis tractantes, in ingens discrimen, felici successu non secuto, coniectos fuisse.

XXVII.

Aulicus cautus sit, ne Princeps animaduertat, quod velit Principe prudentior haberi & esse:

Princeps enim licet amet homines, qui sunt negotiis pares; tamen non fert libenter, qui seipso do-

ctrina & experientia in rebus ciuilibus præstantiores censentur.

XXVIII.

Cordati tamen & graues Aulici, nunquã ita se demittere debent, vt approbent sententias seruiles: nec formidare Principis iram, quò minus quæ rectè sentiunt, liberè dicant.

XXIX.

Fridericus Imp optabat, vt aulici Consiliarij iudicaturi de rebus propositis, duas res antè pallatium in vestibulo deponerent: *simulationem* videlicet, & *dissimulationẽ*. Quod innuit quoque Inscriptio in curia Ratisbonensi, quæ extat in tabula marmorea, aureis literis: & docent prudentissimi Veneti illustri exemplo alios: *qui solent antè vestibulum curiæ priuatos affectus apud S. Marcum deponere.*

XXX.

Quamuis Aulicus Consiliarius propter virtutem, ingenium, eloquentiam & gratiã Principi sit acceptus: tamen nunquam irrideat alios, nec seipsum admiretur, ne inde interitum sibi acceleret: quem non vni hanc ob causam contigisse scimus, viris alioquin bonis:

Plus dimidio fallitur, exeditq; vero.

Mirans

Mirans sua, Soli comparans seipsum,
Philautia nil vnquam mouit boni:
Soli qui sibi placeat, cæterosq; spernat,
Is si à reliquis spernitur: hic vendit, emitq;.

XXXI.

Omnes aulici Consiliarij, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, cogitare debent sedulò, an quod aggrediuntur Reipub. vtile, Deo gratum, gerentibus gloriosum & promptum effectu, vel certè non arduum sit. *malè itaq; egerunt ij, & minus prudenter, qui fuerunt auctores Impp. vt efficerent, vt è Danubio in Rhenum nauigaretur.* Idem de similibus iudicium esto.

XXXII.

Aulici Consiliarij qui ad diuersas curas & opiniones trahuntur, & sunt irresoluti in aulis, non magnifiunt: sint igitur prompti in animi cogitationibus explicandis, & constantes in ijs defendendis.

Ne te instabilem crastina deprendat hora.
Si consilio sunt sapiente constituta:
Mutare alioquin mala destinata, virtus.

XXXIII.

Consiliarius siue legatus Aulicus egregia negotia quæ incipit, debet occultare, quousque ad exitum perducta fuerint: alioquin multi

multi moti inuidia, ea impedient, vel prudentiæ detrahent, quod non citiùs finem actioni imposuerint, inferat itaque ictum, antequam sentiat alius.

XXXIIII.

Prudens Consiliarius efficere debet, vt nunquam sine negotiis viuat, nam varia negotiorum tractatio magnam affert Aulico existimationem.

XXXV.

Falsa referre pudet, vera referre nocet.

Inquit ille: at eo non attento, Consiliarij, qui negotiorum relationi, ex qua Seneca ius oriri dicebat, præsunt, fideliter referant & narrent, ne Princeps falsæ relationi credendo, multa iniqua mandet, quæ aliàs non iuberet: & referendarij mendaces dicantur.

XXXVI.

Cuncta, inquit Tacitus ad Imperatorem, *in mollius relata*. Quod obseruent omnes aulici, neque addant in referendo igni oleum.

XXXVII.

In magnis negotiis & deliberationibus, quod obesse, & nihil prodesse potest, silentio debet inuoluere prudens Consiliarius: eo enim casu Oratorium est, tacere.

Grauis iactura loquelæ est.

Con-

XXXVIII.

Consiliarius aulicus summoperè curet, ne neglecto Principe, vel consensu eius excluso, quicquam etiam vtiliter gerat, inprimis si longè non abfuerit: alioquin tanquam contemptus offenditur. Itaque minus barbarè egit Mahometes Visir primus, trium Ottomannorum Consiliarius, qui etiam rē minimam, quamuis se id facere posse, certò sciret, inscio Principe, determinare noluit.

XXXIX.

Legatus aulicus qui idem Consiliarij officio fungi solet, nihil in mandatis propria autoritate, occasione rei melius gerendæ, mutare debet: sed omnia ad præscriptam legationis formam referre vel principē super noua & incidenti causa consulere.

XL.

Quod enim iura ciuilia statuunt, mandati fines quandoque licere excedere, si rem commissam pleniùs & meliùs expedíueris, quàm iussus eras: tamen id de rebus priuatis, non etiam publicis rectè accipimus, in his enim non vtimur interpretatione. inde Valerius, Romanos ait, *legationem quibus acceperant, verbis, peregisse.*

Legati,

XLI.

Legati, oratores, interpretes, nuncij siue tempore belli, siue pacis, temporarij, siue perpetui, rei dicendæ vel agendæ causa mittendi, debent explorare suas vires: neq; munus illud, cui se putant impares, subire. Rectè enim ICtus Gaius: *Non videtur iniquum si infirmitas culpæ adnumeretur: cum affectare quisque non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suam alij periculosam futuram.*

Ergò.

Certo modulo te, & tua metire probando:
Ne scande locos, è quibus inde sit ruendum.
Scalig.

XLII.

Legatos enim aulicos oportet, inquit Cominæus, esse homines peritos, & circumspectos.

XLIII.

In legato etiam pulchritudinem requiri inprimis apud barbaros, prudentes existimant Nam in corporum maiestate, venerationem esse liquet Sic Alexander Magnus despectus à Regina Amazonum traditur: quia non eam pulchritudinem in maximo illo Rege reperisset, cuius ingentis rerum

gestarum famæ rumore percita, ad ipsam venerat.

XLIIII.

Sic Cato Stoicus, in legatos populi Romani iocatus fuisse legitur: quorum vnus lapide quodam in caput percussus, fœdas cicatrices præferebat: alter pedibus laborabat. dicens: *Mittit populus Romanus legationem, quæ nec caput, nec pedes habet.*

XLV.

Aulicus legatus ita peragat legationes, ac omnes actiones instituat, ne homines dicant: *Legato deesse os.* hoc est, *talem esse, quem nihil pudeat.*

XLVI.

Legatus vt aptus mittatur, ante omnia studendum, quamuis multi Principes vix cogitent, quem mittere velint. Sic Ludouicus XI. Barbitonsorem. Inprimis mittant Principibus acceptissimos.

XLVII.

Legatus sit celeri ingenij motu præditus, vt argutè, & eleganter proponat, & respondeat: dicat agatque solerti iudicio ante cogitata & non cogitata. Sunt enim actiones plerumque tales, quæ tempus ad consultandum non præbent.

XLVIII.

XLVIII.

Consiliarius legatus & orator quamuis facundia excellere debeat, & nomen quod habet ore comprobare: tamen simplici, nudo à coloribus, figuris, luminibus, sermone vti debet: illa enim ratio dicendi personæ Principis, cuius nomine mittitur, conuenit. Sermo enim legati sit sententiarum & rationum pondere magis, quàm elaborata dictione illustris: sermo potiùs quàm oratio: sermo tamen purus sit, fucatus molestus est.

Nec tardiloquum, nec celerem nec incitatũ:
Nec qui leuis incursibus, impotens tui sis:
Volo te compositum, te iubeo dicere tractim.

Inquit insignis Philosophus & Orator.

XLIX.

Legatus aulicus teneat linguam illius apud qué legatus est, vt multa incõmoda impediantur. Discant itaq; nobiliores, vt iis in immutanda oratione qua prudentes Principes delectantur, vti queant. Latina alioquin benè intellecta, sufficit. nam imprudéter Nicephorus homini imponit, omnium linguarum addiscendarum onus. Nec Mithridates linguas XXII. sed idiomata calluit.

L.

Legatum Philosophum merum, vix admit-

mittimus, nisi fuerit imbutus historiarum cognitione. Nam quæ futura sunt, plerumque paria iis sunt; quæ iam facta sunt: quæ nosse debet legatus, quia Politicus.

LI.

Illud scimus, temperantiam voluptatibus & cupiditatibus dominari. Itaque aulicus & legatus conuiuia vitare debet. Nam solutus vino & aliorum fabulis prouocatus, facilius labi, & autoritatem amittere potest: *Cùm sit voluntaria insania, & ingenij sepultura*, Augustino teste.

LII.

Iurisconsulti disputant, *An aulico tanquam legato oblata, pertineant ad aulicum, vel principem qui ablegauit*. Sed consuetudo obtinuit, vt legato relinquantur, nisi ex qualitate doni aliud præsumatur.

LIII.

Refert Valerius legatos quondam Romanos munera quidem accepisse, sed detulisse etiam in ærarium: & quidem priusquam ad senatum legationem referrent existimãtes, de publico ministerio nihil vnquã præter laudem benè administrati officij, debere priuatis accedere.

Lega-

LIIII.

Legatus aulicus ſit temperans & ſobrius, inprimis eo tempore, quo proponenda erit legationis ſumma. Vt Xenocrates Athenienſium legatus cùm incurrere nollet, dicitur, necquicquam voluiſſe, aut guſtare prius, quàm legationem ſuam expoſuiſſet.

LV.

Licet Honorius & Theodoſius Impp. reſcripſerint alieni regni arcana non ſcrutanda: tamen legatus reuerſus omnia ea narrare debet, quæ ad Rempub. videntur ſpectare. Vid. mores, religionem, & leges gentium, regionum ſitum, arces, ciuitates, veſtitum Principum, Conſiliariorum qualitates, origines, familias, potentiam, opes, ædificiorum formam, &c.

LVI.

Aulicus ſemper ſit Principi auctor, vt legatos non etiam adeò gratos, ſplendidè excipiat, magnificè tractet, clementer audiat, liberaliter dimittat, ne quam habeant occaſionem de inhoſpitalitate conquerendi.

LVII.

Aulicus conſiliarius & legatus ſemper plus timeat de bono exitu, quam ſperet: ne incurioſius commiſſa tractet, fiducia felicis exitus:

exitus: aliàs curiositatem in omnibus aliis, fugiat, auctore Plutarcho. nam si eam validam alendo reddiderit, & violentiam: is propter consuetudinem deinceps difficulter eã cohibere in iis poterit, quæ curare nõ liceat. In aulis vsque adeò est curiositas grata titillatio, vt inhiberi nullo modo possit.

LVIII.

Vt dissensio ducum in bello ad augendos & prouehendos hostium conatus multum prodest: sic etiam consiliariorum disiunctiones illis, contra quos consilia dirigere debebant, subueniunt.

LIX.

Consiliarius prudens aulicus, plus mentis, quàm verborum in sermone relinquat, & cum magnis viris studeat esse breuissimus in re sua tractanda.

LX.

Consiliarius aulicus cum aliquid magni momenti vult tractare cum Principe, eligat commodam occasionem, & initium faciat de re grata & noua. Si enim alijs negotijs sit intentus Princeps, parum gratè ante audietur Senator vel alius aulicus.

LXI.

Multa sub prætextu legationis callidè &

malitiosè fieri solent: itaque variè instituendæ sunt, *infinita enim perniciosa sub legationum specie tractari dicebat* Cominæus.

L X I I.

Conducit vt legati & consiliarij fuerint decepti. qui enim nunquam circumuentus est, truncum esse dixeris potiùs, quàm hominem: propterea quod inter prauum & vitiosum quid intersit, diiudicare nequeat.

L X I I I.

In negotiis principis tractandis conseruet legatus & consiliarius dignitatem: verũ eam statim amittet, si dixerit, principem nõ esse plenè resolutum. ex eo enim variæ sumuntur coniecturæ infirmitatis & imprudentiæ.

L X I I I I.

Consiliarius & legatus aulicus benè viuat, & verum intelligat, quod est sapientiæ: benè consultet, quod est prudentiæ: benè velit, quod est iustitiæ: & benè agat, quod est perseuerantiæ.

L X V.

Aulicus consiliarius in omni deliberatione, quæ de rebus politicis suscipitur, benè consideret, vnde minora aut maiora absurda sequantur: eamque sententiam pro opti-

ma habeat, ex qua pauciora incommoda oriuntur, quæque proximius ad decalogum accedit.

LXVI.

Aulicus Consiliarius sciat nullam ad euitandos errores commodiorem esse viam, quàm egregia cogitare, selecta, & pauca loqui & agere, illaque honesta & licita, Reip. inprimis vniuersæ necessaria.

LXVII.

Aulici Consiliarij reuera miseri, à seruorum & mancipiorum specie parũ differunt, qui ex scrinio gynecæi, vel aulici concionatoris cerebro & præscripto, consilium sumere mutuò, vel tanquam promutuum: & ne priuetur officio, subscribere duorum triumue opinionibus, in causa salutis coguntur, vt prima syllaba *sub* vel *suppe*, salua sit: talis aulicus,

Aut fuit, aut semper postulat esse miser.

Et Theodoricus Afer tales Ecebolos trucidari iussit dicendo: *Si Deo fidem non seruasti, quomodo homini sinceram conscientiam seruabis?*

LXVIII.

Aulicus nobilis vel ignobilis, qui non est Consiliarius, qualis esse & in quibus se exer-

cere debeat: hîc tractare non est nostri propositi. tales itaque ablegamus ad elegantem tractatum de Aulico *Comitis Castellionei*: huic tamen, & nostro communia subiiciemus.

LXIX.

Aulicus in maiorum suorum nobilitate ne delicias, vt Agapetus ad Iustinianũ Imp. scribit, faciat. Cuncti enim primum parentem habent cœnum & limum, tàm ii qui in purpura superbiunt, quàm qui paupertate afficiuntur atque morbo: tàm qui diademate redimiti sunt, quàm qui per cubicula excubant. Ne igitur superbè auitum iactemus genus lutulentum, sed probitate & integritate morum gloriemur. Ante omnia videat; ne sit ignauus nobilis, ne illi dicatur.

Audi Nemesis: sancta vide qualia monstra.
Immanibus ingenijs statuere triumphos.
Iactant otia parta negotijs paternis.
Ac ignaua nobilitate gloriantur.

LXX.

Aulici & verè magnanimi laudabiliter tamen faciunt, inter angustias fortunæ auitum nobilitatis genus retinentes, vel interruptum ab obliuione vindicantes.

Auli-

LXXI.

Aulicus videat ne ſuperbia & faſtu nobiliores & alios præclaros viros offendat, inuidiamque in ſe concitet, ſi ex humili loco ad id faſtigij euehitur, vt nobiliſſimos anteeat: inprimis ſi nuda gratia, vel per malas artes, non claris factis. Nam in hac miſera vita, vt eleganter & piè Cominæus loquitur, nihil potiùs ducamus, quàm vt metuamus diuinum iudicium, & ſtudeamus in rebus omnibus æquitati. neque defatigemur ijs curis, quales ferè ſuſcipiuntur à multis nimia quadam ambitione & cupiditate augeſcendi.

Ergo.

Fortunam reuerenter habe, quicunque repentè
Diues ab exili, progrediêre loco.

LXXII.

Aulici noui homines, qui volunt ignobilitatem ſuam magnis nominibus ficto genere, non virtute inſerere, deridiculoſi ſunt & habentur: vt & illi, qui econtrà tantum ſordidum genus & originem obſcuram amant tantummodo aurum & argentum quærentes, & tanquam ſummum bonum exoptantes, genere in matrimoniis contrahendis & alijs, neglecto.

LXXIII.

Cùm omnia quæ nunc vetuſtiſſima creduntur,noua fuerint , neq; origine careant, vtriuſque præmia deſideret naturaliter : & difficilis ſit veræ nobilitatis definitio : prudens aulicus generis ſplendore inſigni dono Dei coruſcans,aulicum propter nobilitatem recenter adeptam, eaque dignum ne contemnat, cum eiuſdem ſint generis , virtutis conditionem ſi conſiderauerimus : ſed repetat illud tritum:

Eſto,quod es:quod ſunt alij,ſine quemlibet eſſe.

Quod non es,nolis:quod potes,eſſe velis.

Si enim, inquit Apuleius , *laudas aliquem quia generoſus eſt, parentem eius laudas : ſi vero, quia diues,fortunæ hoc debetur:ſi eum laudas , qui bonis moribus & artibus doctus ſit & valdè eruditus , in togata vel animata ſcientia & militaris quantum homini licet , tunc ipſum virum laudas, non aliena.*

LXXIIII.

Ex dignitate & præſtantia formæ & faciei aulici,animum haud degenerem colligere Princeps, & corporis forma præſtantem præferre deformi debet,vt ſupra dictum.

LXXV.

Aulicus præter & super experientiam, sapientiam & eloquentiam, etiam sit specie inanium validus, vti moribus exquisitis, corporis elegãtia & proceritate, vestitus splendore, tàm omnium rerum magnificentia, quæ congruenter in omnibus, Aristotele docente, instituenda: alioquin desinit esse magnificentia

LXXVI.

Omnis aulicus in aula obseruet, vt habeat frontem apertam, linguam parcam, & mentem clausam: & ne sit gestuosus.

Ne gesticulatim loquere, aut caput manusque
Iacta: Nimis hæc optimè dicta deuenustant.
Sed nec sic, quasi cum quo alio lenis loquare,
Spectes aliorsum: tua frons sit apta fronti,
Sed vtrumq; modesti dabis, alterna reponens.

LXXVII.

Si aulicus sub principe periculum & inuidiam effugere cupit, à nemine alio sibi officia dignitatesque deferri patiatur, præterquam ab ipso principe.

LXXVIII.

Aulicus non perpetuò adsit Principi, neque

que diu nimium absit; quorum alterum, parit odium & satietatem: alterum, obliuionem.

LXXIX.

Aulici enim prudentes cum Principe tanquam cum igne agant: à quo non adeò aberunt, vt illius calore foueri non possint: nec sic illi appropinquabunt, vt illius incendio ipsi conflagrent.

LXXX.

Vt etiam cum commodo tuo absis, ambiendæ sunt legationes fauorabiles, nuptiales & similes, vel tantum honorificæ: & hoc pacto aulicus semper nouus redit.

LXXXI.

Innocens inuidiam aulicus æquo animo cautè contemnant, & rectè agendo, & vera dicendo, inuidiam marcescentem rebus alterius opimis, vincat.

Rectè inuidia est, refugo comparata telo:
Telum, solidi si quid ei se obijcit, inde
Retrò resilit, nec nocet huic, cui minatur:
Quin & redit, & vulnerat ipsum arcitenentem.

Itaque.

Aude animo inuidiam contemnere, non nocet illi,

Quem petit: auctori sed nocet illa suo.

Nam

Si la inuidia fosse vna febre, tutto il mondo morirebbe.

LXXXII.

Aulicus mordaces inuidorum in se sermones lepidè & ingeniosè repercutere, non magna vehementia refutare debet. Vt puta Hispanos, asserentes, etiam in Hispania fuisse, qui reperisse Indiam, verecundè Columbus irrisit, & respondit nihil: sed ouo afferri in triclinium iusso, & mensæ imposito, verso ad omnes sermone: Age dum, inquit, domini mei, cum quolibet vestrum deposito in cœnam pignore certo, neminem eorum, qui hîc sunt, facturum ouo isto, quod ego facturus sum, videlicet, vt nullo nixuum adminiculo stans & erectum in pedem suopte nutu maneat: periculum fecerũt omnes, neq; vlli illorum successit: sed ipse Columbus ouum altero eius fastigio vel angulo mensæ illiso, ac leuiter quassato, rectum firmumq; constituit: significans, id iam omnibus factu facilè, postquam ipse primus probasset, & Americam inuenisset.

LXXXIII.

Inuidia communis pestis aulica: quæ vt

nomini connascitur, ita Bald. scribente, inter pares, vel apud inferiores quoque solet oboriri, nullis remedijs potest curari, & imminui, quàm humanitate & affabilitate.

LXXXIIII.

Casum, occasum patiens repetat consolationis loco illud Macrobij:

Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum claritatis cum veneris,
Consistes ægrè, & citius quàm descendas, decides:
Cecidi ego, cadet qui sequitur, laus est publica.

Parua enim, inquit Polybius, temporis interualla homines in excelso fastigio collocant, & eosdem rursus ad extremam miseriam ac calamitatem redigunt: atque eos maximè, qui in aulis principum vitã agunt. Hi enim similes sunt calculis in publicis cõsilijs dari solitis nam, vt illi modo ænei modo aurei dantur: ita aulici pro regis voluntate nunc beati, nunc miseri fiunt.

Lubrica namque via est: magni cecidere, cadentq;:
Est mihi quinq; hodie, cras tibi casus erit.

Neque

LXXXV.

Neque ſemper damnoſa aulico talis mutatio, Mantuano teſte.

Pluribus excelſa vel opum, vel honoris ab arce,
Profuit ad modicæ ſortis cecidiſſe quietem.

Et hoc pacto vilis mundus redditur iſs, qui æternum ſpectant, præſentis enim vanitatis contemptu imbuti, mundum nonne negligerent?

LXXXVI.

Naufragium ſemel paſſus aulicus in aulæ pelago, iniuſtè Neptunum incuſat: nam ſi iterum vult ingredi, non deerit occaſio. *nam vis temporis omnia ſoluit.*

LXXXVII.

Qui volunt ſub aliquo principe facere magnos progreſſus, conentur ſeruitio prompτiſſimos ſe exhibere, abrupta enim contumacia, nō ſolùm progreſſus aulici interrumpit, ſed eos frangit & tollit.

LXXXVIII.

Aulicus qui à principe prouehi cupit, ſemper ſtudeat ante illius oculos verſari, & ab eo conſpici. Sæpè enim repentina ingruunt negotia, quæ principes illis committunt, qui prius ipſorum conſpectui offeruntur.

LXXXIX.

Aulicus qui ſapit, ſemper futuris & periculoſis tuta & præſentia, dummodo honeſtè fieri poteſt, anteponat. Qui enim ſuis cupiditatibus terminum non ſtatuunt, & futura præſentibus præferunt, pluribus dignitatibus inhiantes, parum plerumque proficiunt, & ſæpiùs repulſam damnoſam patiuntur.

X C.

Aulici rudes, & ſtolidè feroces, etſi digni vituperio: attamen nullo flagitio contaminati, excuſatione & venia ſunt proſequendi.

Sic viue tibi, ſic aliis, vt dicere poſſis.
Te pacem homini, te vitio indicere bellum.

X C I.

Aulici quamuis morum & affectuum indicia premant & occultent; erumpunt tamen tandem & ſe produnt.

X C I I.

Magni aulici ſeceſſus ſæpè inſtituunt, quo intentius iram, ſimulationem & ſecretos animi motus exerceant, & meditentur, & in altitudinem ſe condant: Occaſione poſtea oblata promunt, quæ in illa ſolitudine concoxerunt: quod omnibus politicis & militibus cômune eſt, nec ſemper benè ſuccedit.

Nihil

XCIII.

Nihil miserius excogitari ferè potest, quàm aulicos stultæ fœminæ seruire. Fugiant itaq; aulici fœminarum imperium, imprimis imprudentum.

XCIIII.

Aulicus quicunque magnum aliquod facinus aggreditur, antequam illud diuulgetur, omnia ad id necessaria præparata habeat, vt suprà.

XCV.

Inter offensiones aulicas, & beneficia hoc interest: quod simul & semel illas expedire, & pro vna vice conuenit, ne nimium irritentur animi hominum, ex earum iteratione. Beneficia verò sensim & sæpiùs sunt conferenda, & in plures vices compartienda, quo homines magis ea percipere quæstu & delectatione cum amore erga conferentem possint.

XCVI.

Aulico in mutatione regnorum & recepto nouo principe, obest plurimum nimia tristitia & nimia lætitia. Expedit ergò vultu composito esse, & dum salua fide & decore possis, appositè lachrymas, gaudium, quæstus & obsequia miscere. Vidimus exempla ante annos paucos.

XCVII.

Aulicus ſtatuat melius eſſe habere, quàm expectare feudum: & ſecundum Accurſium: *Melius vnum tene, tene, quàm centum cape, cape.* Potiùs igitur ſumat pecuniam paratam honeſta mente, & repentè, quàm expectantiã, vt vulgo loquuntur, lentè.

XCVIII.

Aulicus ſemper famæ dare debet, quod ad munus acceptandum, vocatus electusq; acceſſerit.

XCIX.

Aulice, licet cũ intimis tuis agas de Principe tuo, vel ipſius adminiſtratione, ſemper dirige verba in ſenſum talem, qui non poſſit in peius detorqueri.

C.

Multi aulici, faſtus & pompæ gratia tantum; multis munera impertiuntur, quos ſecreto habent inuiſos. Muneribus itaque ne fidas.

CI.

Aulici qui reliquos dignitate ſuperant, nouo principi prius, ſucceſſiuè qui ſequuntur, iuramentum præſtare debent.

CII.

Prudentis & cordati eſt ſenatoris aulici,

in ijs quæ ad Rempub. pertinent, non vti consilio nisi suo, vel cum periculo offensionis.

CIII.

Experientia cognitũ est, ob nimium studium prouehendi amicos, ad dignitates & officia, quosdam aulicos, res proprias turbasse & euertisse. Fugiant itaque tales promotiones.

CIIII.

Bonus vir aulicus semper exilium voluntarium libentiùs voluit suscipere, quã quicquam cõtra mortui Principis ordinationem, ante voto comprobatam, agere.

CV.

Cùm æmuli tui aut socordia senescunt, aut per libidines pessundantur: tunc, aulice, optima tibi affertur occasio, res tuas prouehendi, & illis citra proximi incommodum resistendi.

CVI.

In aulicis ad iniusta facinora exequenda, semper obtentui sumuntur iustæ causæ: vt hoc colore alij populi & tua facta comprobent, & an læsa sit Respub. non solent argumentis probare, sed manifesta statim damna extare Reipub. dicere.

CVII.

Ab vna ad alteram naturam absque requisitis medijs descendere, inutile & periculosum est aulico.

CVIII.

Improbi aulici suggerunt Principibus, vt hostes, quos alia ratione tollere non possunt, nuptijs propinquarum alliciant, & sic subdola affinitate euertant.

CIX.

Artificiosa species exprobrandi vicia alicui est in aulis, cùm, quasi eum excuses, loqueris, quem corrigis.

CX.

Quantò plus aulicus nititur in sermone vt sensus penitius abdat, tantò magis incertum & ambiguum implicatur.

CXI.

Quando prudens aulicus cognoscit se in offensionem Principis inaduertenter incidisse, nil moretur eum quoquo modo lenire. recondunt enim altè offensas Principes, quas suo tempore multò grauius expromunt.

CXII.

Iræ implacabilis aulicæ est, vt verba omittat, tempus & occasionem grauiter lædendi expectet.

CXIII.

Preces Principis affinium, vxoris, matris, ſororis, filiæ, & earum perſonarum, quæ in magno pretio ſunt, plurimum efficaciꝫ apud ipſum ſemper habeāt: ideò prudens aulicus, earum patrocinium & gratiam honeſtis meritis quærat.

CXIIII.

Si negotio tuo & cauſæ conſociare aliquē velis aulice, id nulla ratione meliùs aſſequi poteris, quàm illi tecum commune periculum oſtendendo.

CXV.

Aulici ſub obtentu conſulendi Principē poſſunt fruſtrari illos, quibus cum agunt.

CXVI.

Aulicus qui ſibi odium & inuidiam haberi videt, propter fauorem Principis, caueat æmulos. odia ęnim erunt acriora.

CXVII.

Simultates inter aulicos exortæ, benè ſunt obſeruandæ: ne dum vni parti adhæres, offendas alteram, vt ſuprà.

CXVIII.

Non multa vno tempore ſunt petenda, ne Princeps ea concedere grauetur aulico.

CXIX.

Cùm lex ſit hiſtoriæ, vt veritas ante oculos habeatur, gratia atque odijs poſt habitis, meliùs eſt hiſtoricum & politicum aulicum, ſi non fert ratio temporum, ab hiſtoria ſcribenda abſtinere, quàm eam turpiter metiendo & adulando, quod pleroſque factitaſſe Flauius Vopiſcus ſcripſit, maculare. Reipub. enim intereſt, ne quid omninò, niſi quod ſit compertum & exploratum, in lucem exeat, & cadauere viuum animal vendatur.

CXX.

Aulicus parum fidei tribuat, pleriſque concionibus funebribus, quas paſſim diuulgant, tum nugis Francken/ Eitzingeri/ Gallobelgici/ & ſimilium, quibus viuẽtibus turpiter imponunt, & poſteritatem fœdè decipient. rarò enim fit, vt non plùs affectioni & nummis, quàm veritati tribuant: & citiùs corniculas in Africa, quàm aliquid ſolidæ veritatis in ijs reperies. Puniantur æquè omnes publica imperij Conſtitutione.

CXXI.

Ars hæc eſt aliorum, qui maximè aliquid cupiunt, vt ſpeciem recuſantium induant,

quo

quo enixiùs rogentur, id suscipere, quod flagrantissimè cupiunt, aulico more.

CXXII.

Nunquam successor in officio aulico intermittat solita munia. nam eo non obseruato, serui & subditi lasciuiunt, & politicus contemnitur in aula.

CXXIII.

Initia omnium principatuum gratiarum sunt plena: & qui nondum confirmatus est in solio, omnium animos demereri solet, nihil alicui negando, quod in aulis malitiosè obseruant familiari rei augendæ operã dantes improbi aulici.

CXXIIII.

Imperiti sunt, qui improbant in Politico aulico & in milite eloquentiam. Omnes enim verè politicos & milites memoria repetamus: inueniemus præcipuos fuisse eloquentissimos. Abijciant ergo Aulici falsam hac de re opinionem, & quanta sit vis eloquentiæ, considerent.

CXXV.

In aulis sæpè quod preces non possunt in lite componenda, minæ operantur in principum ministris.

Po-

CXXVI.

Populi & multitudinis furor nemini, quamuis illustri & claro aulico, parcit: & sæpiùs in eos qui auctoritate pollent accenditur; Cede itaque furori.

CXXVII.

Ad magna facinora perpetranda nunquã non tenebræ noctis deliguntur ab aulicis & militibus.

CXXVIII.

Aulici ad sedandos tumultus aptissimi sunt illi, qui bonis artibus grati in vulgus sunt, qui quidem semper rari: diligenter itaque ex aulicis eligendi.

CXXIX.

Aulicus qui vult compescere seditionem, is quàm celerrimè tollat è medio capita eius: & quidem prompto ingenio ad asperiora.

CXXX.

Aulicus qui populi studium & fauorem possidere desiderat, is antè omnia ingenium ciuile, & comitatem præ se ferre debet.

CXXXI.

Muliebres dissensiones sæpè maritos inter se proximos accendunt & alienãt. Negligat itaq; aulicus muliebres altercationes.

Rarò

CXXXII.

Raro euenit, vt clariſſimis parentibus geniti, magnos ſpiritus quaſi hæreditariè non gerant, ac retineant aulici.

CXXXIII.

Aulici boni nouerunt, & vſus contra Machiauellum oſtendit, priuatas ſubditorum diſcordias, niſi continua principis vigilantia extinguantur, ipſi & Reipub. exitium parere.

CXXXIV.

Haud dubiè quando ſunt res commotæ, potior habetur is, qui audacia eſt magis promtus in aula.

Creſcit vegetum cor ſimul atq; difficultas.

CXXXV.

Cùm tria ſint vincula, quę homines à malefaciendo deterreant. Religio, pudor & pęna: vltimum, quod legibus imponitur, firmius eſt cæteris duobus, inprimis in aula.

CXXXVI.

Circumſpectè laboret aulicus, vt peritiã morum principis, cui inſeruet, adquirat: & princeps talem obſeruet, eique ne fidat omnia acta principis probanti.

CXXXVII.

In aula cuius facta diſcordant verbis, ei

nun-

nunquam fidas iuranti:quod enim loquitur, id semper sapiens debet agere,inquit Seneca. Verum enim illud:

Quæ non facias dicere,id est, quod es, nec esse.
Nec quæ facias dicere ,fortis aut modesti est.

CXXXVIII.

Coercendi sunt aulici, etsi concionatores sint,qui viros & fœminas procacibus scriptis & verbis ignominiosis diffamant.

CXXXIX.

Viriliter agit ille, qui omnibus in fœdum seruitium, & deformem pestilentemq; adulationem,meretricem aulicam lapsis, virtute & constantia solus aduersatur, iniquo aulicorum iudicio, & peruersæ opinioni.

CXL.

Quæ cum aliqua perturbatione in aulis fiunt ea nec constanter fieri possunt, nec ijs, qui adsunt,probari prudentibus.

CXLI.

Quem tibi vis fidum esse aulicum, ei vt sis fidus stude. nam falsò queritur se deceptum,qui prius alium decepit.

CXLII.

Aulici praui, qui æmulum amouere cupiunt,

piunt, eum sub specie honoris benè à doctrina, iudicio & virtute commendatum aliò amandant, vbi res sunt perturbatæ.

CXLIII.

In aula res magni momenti quas Principi exponere non possumus, eas per illos principi monstrare debemus, quibus cum illo maior est conuersatio.

CXLIV.

Vt aula est res vetustissima: sic vetus malum aulæ & Reipub. inesse rectè Tacitus dicebat *adulationem, perpetuum malum* (Q. Curtio auctore) *principum, quorum opes sæpiùs assentatio quàm hostis euertit:* & abundant omnibus rebus in aula, excepta veritate. Quid Neronem, castissimè educatum, crudelem fècit? adulatio. Quid Cæsarem contra patriam rebellare fecit? adulatio. Quid Rehobaam Tyrannum fecit? adulatio. In aula igitur vnus Clytius præferendus sexcentis Aristippis.

CXLV.

Adulatio in aulis, etsi multa procreat cõmoda: tamen semper est fœdissima & inimicissima existimationi, & tractu temporis infamiam affert. Vitent itaq; bestiam istam ipsi viri boni qui sunt in aulis.

CXLVI.

Aulicus qui ſperat ſe breui aliquam dignitatem adepturum, cauere à ſuperbiæ oſtentatione: imò humiliùs ſe gerere debet: ſic enim & illius, à quo dignitatem expectat, gratiam conſeruabit, & communem aularum peſtem, inuidiam effugiet. Qui conſiderat ſecum, quàm omnis dignitas vana & inſtabilis, is nihil tumebit.

CXLVII.

Aulicus quando quid à principe conſequi ſtudet, id ita poteſt, vt vnius ipſius principis neque cuiuſdam gratia & beneficium conſecutum ſe fuiſſe appareat, & illi ſoli acceptum id referat.

CXLVIII.

Qui in petendis pecunijs raró ſibi ipſis ſciunt imponere modum, aulici ab aula, tanquam auari & puras manus non habentes, remoueantur.

Aurum lapide, aſt homines iudicantur auro.

Aurum ignis coquit, exprimit, efficitq; purum.

Auro coquitur, ſoluitur, impurus homo fit.

In auaro enim ſimul concurrunt cordis duritia, inquietudo mentis, violentia, fallacia,

cia, periurium, fraus & proditio. Rei familiari operam dare honestum est, sed turpiter id faciunt plerique aulici, qui neque certos fines ponunt: & cum iniuria aliorum fortunas quærunt & amplificant, & in ipsam patriam, principem & amicissimos iniurij sunt.

CXLIX.

Licet Ludouicus XI. Rex Galliæ metu coactus, suo medico opimum mẽstruum stipendium, videlicet decem aureorum millia dederit: tamen nunquam in animum inducat sibi aulicus, quod velit extorquere aliquid à Principe, ac velut perfringere ærarium: siue det, siue neget petita, æquo animo vtrumque ferat. Est enim prouerbium tritum,

In splendidissimis etiam epulis existere semper aliquos, qui minus benè tractentur.

Idem vsuuenit in aula, dum alij quod volunt, adipiscuntur: alij spe & expectatione decidunt.

C L.

Manibus & pedibus, vt dicitur, laboret aulicus ne videatur principi ignauus, & nullius ponderis: talem namque tanquam onerosum auersabitur. Sint itaq; vtiles aulici, non tineæ & sorices palatij.

CLI.

Fallaces & versuti aulici quando rem aliquam disseminari cupiunt, per secreti socios eam primum occultis sermonibus crebrescere curent: deinde vago rumore apud imperitissimi cuiusque aures, & rursus apud turbidos & noua cupientes, mox ipsi autores prodeant, & extremam imponant manum. Quod ex Tacito sæpiùs, & nouissimè feliciter practicatum scimus.

CLII.

Prudentiæ aulicæ & politices cognitio adquiritur varia lectione continua actione, insigni experientia, longa ætate, peregrinatione, multorum populorum, aularum & Rerumpub. contemplatione.

CLIII.

Prudens aulicus semper sit in occasionem paratus. sine ea enim virtus languescit & iacet.

CLIIII.

Aulicus operam dabit, vt omnes principes aliquo officio colat, dummodo non sint inimici illius, cui necessariò inseruit, alioquin illis inuisus redditur: &, si non omnibus potest obsequium præstare, saltem illos non contemnat, & talem euitet suspicionem in

tot enim humanis mutationibus potest is, qui hodiè rerum potitur, extingui, & alius, de quo non cogitaris, succedere.

CLV.

Aulicus apprimè obsequiosus esse debet: eo enim ipso gratiam hominum colligit, & collectam retinet. Rectè enim Tacitus inquit:

Quantò quisq; promptior obsequio: tantò citius honoribus & opibus extolletur.

CLVI.

Aulicus Politicus Reipub. salutem anteponere debet omnibus priuatis commodis, affectibus, iniurijs, adeò vt priuata nihil æstimet.

CLVII.

Quilibet prudens aulicus discat, vt loquitur Annibal Scotus, *crassum bibere*: perferat acerba omnia, quousque ad finem suum perueniat: patienter & recta via ad dignitatem expetitam ascendat: iram & affectus corrigat, inprimis in actionibus, & multò rectius est, vt agat, quod agit, vbi animus deferbuerit, Galeno authore, nec furor ille brutus ipsum occupet: tùm inueniet quod cum ratiocinatione pugnat.

CLVIII.

Quicunque vult eminere aulicus in aliqua re, proponat sibi ad imitandum aliquẽ ex perfectissimis aulicis, cuius mores artemque ambiat, & multum efficiet breui tempore.

CLIX.

Etsi sumendi vltionem occasio optima sit in aulis de inimico, cùm eius res sint dubiæ: tamen vir bonus & magnanimus nunquam hoc committere debet. Fœdum spectaculum est homo: qui quid per vindictam & iram indecore seque indignum gerit.

Magnanimo nihil nocetur.
Ne vlciscere damnum: imò satis sit potuisse.
Ignoscere vindicta viro maxima forti est.

CLX.

Cùm à debiliore latere filum rumpatur, validiores in aulis nunquam sunt irritandi. non enim hodie vel heri hoc fieri incipit inquit Thucyd. sed semper accidit, vt infirmior potentiori subiaceat.

CLXI.

Detestandi sunt malitiosi aulici, & è medio tollendi, qui virum bonum, clarum, innocentem, non conuictum, imò ne quidem legitimè accusatum, interficiunt, vel euertunt,

tunt, vel in carcerem conijciunt, & postea sceleris & proditionis eundem incusant.

CLXII.

Ah iustitiæ tormina, væ foro bilingui,
Vltoris vbi flammea fulgetra Tonantis?

CLXIII.

Aulici illi qui Rempub. turbare, bonos eijcere, & summam rerum tenere cupiunt, socios sibi eos adiungunt, qui ante honorum auidi, crescere in Republica non potuerunt.

CLXIIII.

Cautus aulicus semper se grauem in credendo & sperando præstet, nec omnia pro veris, nec omnia pro falsis habeat: sed aliquid minus credat rerum illarum, quæ promittuntur in aula.

CLXV.

In aula res malè se habet, quando est licentia deterrima cuique excitandi impunè probra, calumnias & mendacia, inuidiamque in mortuum magistratum, & relictos viuos ministros.

CLXVI.

In negotijs principum aulicum oportet insistere in inceptis & destinatis. Parum enim est res magnas rectè aggredi, nisi obstinatè ad finem vsque eas prosequamur.

Nec temerè incipio, nec citò desisto.

Multa enim, Liuio monente, sicut non aggredienda: ita semel aggressis non dimittenda. Breuissimi enim temporis inconstantia, totius per sæpè vitæ fidem auferre, dicebat Libauius Sophista.

CLXVII.

Præclarè actum est cum aulico, si patitur propter exactam obseruationem constitutionum præmortui principis, & propter fidei confessionem. potest enim cum Dauide canere:

Vera facit, vt loquar, & pia dogmata spargam:
Hinc premor, & plagas probraq; multa fero.

Quid enim inquit M. Tullius laudabilius, quàm memoria rectè factorum & libertate contemptum negligere humana: Si secuta fuerit, quæ debet fortuna, gaudebimus: sin minus, ego tamen gaudebo: quamuis qui fuerim, & qui esse potuerim, esse non possim.

CLXVIII.

Et contemptus inde ortus, est contemnédus ad recta vadenti.

CLXIX.

Ope-

Operam dabit aulicus, ne, dùm alios in obſequio vincere ſtudet, in adulationem turpiter prolabatur.

CLXX.

Gradu dignitatis deiecti fortiùs agunt, modò res familiaris patitur, vt in ocio priuato degant, quam vt minores honores prioribus aſſumant, vel principis inferioris aulam adeant, niſi talis potentiorem prudentia & auctoritate ſuperet.

CLXXI.

Prudens aulicus concordiam & amicitiã inter principem, fratres, ſorores principis generare potiùs ſtudeat, quàm diſſenſiones excitare.

CLXXII.

Aulicus verus inhoneſta in principis gratiam etiam quocunq; velo veſtita, ne expediat, ne maiorum laudem & propriam dehoneſtet. Errarunt enim valdè, qui ſpe lucri, honorum, vindictæ, cupiditate, ſubdolis & proditoriis artibus emergere & creſcere voluerunt, & tandem proditione peracta, dignam mercedem perfidiæ & proditionis tales accepiſſe, infinitæ hiſtoriæ docent.

CLXXIII.

Aulicorum improborum ars eſt, aliud

prætendendo potentiam ſibi comparare, & res ſuas augere, omnes ſtudioſè ſibi conciliare, ſenatorum maximam partem ambitu ſibi adquirere, gynæceum corrumpere ad perſcrutanda arcana: in quibus & ſimilibus quæ proferri non debent, præceptore vtuntur Seiano. Remoueantur in tempore tales.

CLXXIV.

Aulicum improbum deſcribit Tacitus: *Corpus aulico ſit laborum tolerans, animus audax, ſui obtegens, in alios criminator: iuxtà adulatio & ſuperbia: palàm compoſitus pudor, intus ſumma adipiſcendi libido, eiusq; cauſa, modò largitio & luxus, ſæpius induſtria ac vigilantia haud nimis noxiæ quoties parando regno finguntur.*

CLXXV.

Benè in aulis obſeruentur aulici Medici: plerumque enim malè conſcij in conſcientiam ſumunt Medicum, vt Seianus Endemium amicum ac Medicum Liuiæ, ſpecie artis, frequentem ſecretis.

CLXXVI.

Primas aulice, dominandi ſpes vbi ſis ingreſſus, adſunt tibi ſtudia & miniſtri.

CLXXVII.

Vulgo iactata cum magna impudentia & inſania, ſuper id, quod nullo certo autore firmatur

matur de viris principibus, promptè ab aulico ſunt refutanda: vt multi deleuiſſent, falſum, vanum & incredibilem rumorem de optimo quodam principe ſparſum.

CLXXVIII.

Aulicus tegat ſpem & fauoris exordium, quo princeps eum amplectitur, alioquin perniciem, vel ad minus remoram accelerabit.

CLXXIX.

Aulicus, quem recentia & vetera odia premunt, impoſſibile eſt, quod tandem non euertatur. Qui itaque ſapit, videat vt conflata extinguat.

CLXXX.

Aulicus qui aliquem inſimulauit criminis, quod reſpicit perſonam Principis vel Reipub. debet cogi ad accuſationem peragendam.

CLXXXI.

Aulicus cõuictus, quòd pecuniam ob rem iudicandam vel expediendam acceperit, remoueatur, ne in aulis principum præpotentes ſint venales, & ne, dum proſperè fruuntur gratia principis, malè abutantur.

CLXXXII.

Aulicus perfectè perdiſcat naturam & ingenium

genium Principis, & quibus modis temperanter se habeat.

CLXXIII.

Licet quisq; in Repub. tantum postulet, quantum habet virium: non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valeat, non iudicium, non existimatio ciuium, non posteritatis verecundia: tamen aulicus eorum socordiam irridere debet, qui præsenti potentia credunt extingui posse sequentis æui memoriam.

CLXXXIIII.

Temporis iniuria quandoque contingit, vt sit clamandum aulico cum alijs:

O demens, qui de terris Astræa requiris
Aurea: tolle miser vultus ad sidera cœli.
Astræam cœli positam inter sidera cernes:
Non terris quærendo latet.

Verùm cùm omnia vertantur, multi post multos annos sentient iustitiæ fructum, & iniustitiæ pœnas. Patere itaque & vinces. Nam qui in aduersa fortuna tempus trahere potest, & ex varietate nunciorum & rerum contari, aut properare: is procul dubio se meliori tempori reseruabit.

CLXXXV.

Aulici caueant ne secundum receptam opi-

opinionem hominum cum Athenienſibus de articulis fidei ſtatuant, quandoq; falſum zelum, & abſq; ſcientia prætendentes:

Sæpè ſcelus cœlum Zeli velamine texit:
Cui Zelus cœlum eſt, non facit ille ſcelus.

CLXXXVI.

Vulgo aulicus raro vel nunquam adhæreat. Eſt enim monſtrum terræ: Sunt ſua monſtra ſalo, ſunt ſua monſtra ſolo. Et plerunq; cum conſilijs perierunt, vulgi, & populi partes defendentes, exemplo Grachorum & Sp. Melij.

Proph. vulgus, pelagus indeclinabile virus.

Rectè & ſapienter Scaliger:

Qui pendet ab errore & opinione vulgi,
Pendet magis, atq; arbore qui pendet ab alta.
Nam quod ſemel euenit & abijt, id nocet nil.
At quod dubiis articulis ſtat, inſtat, vrget,
Vaneſcit, adeſt: eſſe malum id putabo ſolum.

CLXXXVII.

Quod Plautus denotat, per Epiſtolam ſcilicet aut per nuncium quaſi regem adiri eum aiunt: id maximè prudenti aulico obſeruan-

seruandum. Debet enim Epistola etiam prę-sentem adire, id est, ex dignitate principis & vtilitate aulici.

CLXXXVIII.

Aulicus nihil remittat studij, vt in cursu vitæ aulicæ auertat principis de se suspiciones, rumores vulgi & inuidiam.

CLXXXIX.

Aulici ne gratiam collectam effundant, solent principem suum ad vitam procul ciuitatis amœnis locis degendam impellere, vt in manu habeant aditus, & arbitri sint literarum siue libellorum supplicum, & vitent, ademta salutantium turba, inuidiam.

CXC.

Autoritas aulici valdę augetur, si illa, quorum alioquin nulla extant documenta, nouit probare ex annalium memoria, historia, vatumque carminibus.

CXCI.

Aulicus initium bonæ voluntatis & gratiæ amittit, si inopportuna hora Principem adit.

CXCII.

Aulico non circumspecto sæpè solet esse causa euersionis, si delegerit cultum principi exosum.

CXCIII.

Nulla est maior occasio adquirendæ gratiæ principis, quàm si aulicus ostenderit re ipsa, propria vita sibi principem fuisse chariorem, & vt viuat princeps, ipse maluerit mori.

CXCIV.

Improbi aulici qui aliquem euertere student, scelesta via & callidissima vti solent: subdunt aliquem, qui miserum accuset, atque illi interim partes iudicis assumũt, quasi mera æquitate & iure, non affectibus impulsi iudicaturi sint: à tali iudice libera nos Domine.

CXCV.

Maturè & sensim eundo aulicus promotiones speret, nec nimium properet.

CXCVI.

Aulicus etiãsi habuerit causam de principe conquerendi: caueat tamen à vocibus contumacibus & inconsultis. Nam

Reuerenter habe, quos superi dant superiores:
In se spuit, is qui spuit aduersus Olympum. Scaliger.

CXCVII.

Callidi & scelesti aulici etiam in illos, quos colunt extrinsecus, semina futuri exi-

tij meditantur, & quando ad finem ope amicorum peruenerunt, quem ſibi propoſuerunt, proijciunt.

CXCVIII.

Auaritia & ſuperbia plerunque validorum aulicorum vitia.

CXCIX.

Aulici noſcentes principis ingenium, & qui illi continuò adſunt, quicquid cupiunt obtinent, modò ne abutantur.

CC.

Aulicus totus à ſe, & virtute ſua pendere debet, & gratioſos apud principem colere, ſed non penitus cum illis res ſuas conferre & conſociare.

CCI.

Aulici non debent ſecreta aliorum rimari, ne dicantur curioſi & audaces, vt ſuprà. Sycophantarum enim ratio, autore Plutarcho, eſt de tribu & familia curioſorum. Nam & curioſi aliorum infelicitatem in lucem proferunt.

CCII.

Euecto à principe ad opes immenſas, & honores inſignes, obſequium & honorem tribuere debemus, neque illum contemnere tanquam nouum hominem, indignum & indoctum.

doctum, ne incurramus in odium Principis: si indignum talem fuiſſe exitus probauit, dicamus cum illo apud Tacitum, tuorum conſiliorum ſocium, tua officia in Republ. capeſſentem colebamus. Bonus tamen vir & conſiliarius auctor ſit principi abſq; metu, vt bonos & exercitatos muneribus præponat.

CCIII.

Antiochus ille, qui bis exercitum duxit aduerſus Perſas, in venatu feram ſequens, in caſa pauperum didicit:

Reges & Principes raro, verum audire.

Nam ſtudio eſt prauis aulicis, ne quid audiant niſi blandum auribus, vt ſuprà.

CCIV.

Sinceri homines etſi ſimulare neſciunt: tamen in aula degentes, falſa fictaque dogmata ſimulationum, & multa mala, alioquin inermes & innoxij in ſinu aulicorum diſcunt etiam inuiti: cùm, præceptore Tiberio, ipſi Principes diſſimulationem diligant, ijſque ſæpiſſimè vtendum. Vſus ſimulationibus etiam Dauid Rex & Propheta, & Ludouicus. XI. Rex Galliæ, filium Carolum ſciri Latinè vetuit, præter illud:

Qui neſcit diſsimulare, neſcit imperare.

Sed tu cum Philoſopho:

Nec

Nec dissimula, nec simula: hoc malis relinque,
Aiunt, simulanti simulato: ast ego contra.
Nunquam simulo: nec mala te malum esse cogunt.

CCV.

Si aulicus magnitudinem quæstuum & auri famem spectauerit, nunquam fidem integram & puras manus habebit sinceramque mentem.

CCVI.

Aulicus, qui salua & pura conscientia & saluo existimationis honore secũdum temporum conditiones, varios mores potest inducere, & illis cum iudicio vti, prosperum habebit successum.

CCVII.

Aulicus cum exteris negotia vix terminabit feliciter, nisi mores patrios eo in loco assumserit, quàm diu ibi viuit.

CCVIII.

Aulici ex se nati, hoc est, qui propria industria ad dignitates ex scholis puerorum vel simili officina peruenerunt, sunt aduersus superiores tristi adulatione, arrogantes minoribus, & inter pares difficiles deprehenduntur & pertinaces.

CCIX.

Aulicus prudens animum Principis erga ſe mutatum, & creſcere inuidos agnoſcit: diſcedendi ex aula honeſtam dimiſſioné maturè petere poteſt, honoribuſque cedere, quàm expectare, donec eijciatur.

CCX.

Polybius ſapienter dicit in aula Principum non tantùm vituperando, ſed etiam laudando ſæpè fieri bonis calumniam: & eius tantum virus eſt, vt afflatu ſuo ſtatim inficiat & exanimet multos: cùm ſit, Luciano definiente, accuſatio eius, qui in iudicio non comparet, quique de illa non cognouerit, vt ab accuſatore ſolo allata fuit: ita accepta & credita, omni facultate reſpondendi ademta reo.

CCXI.

Nihil in aula Principum periculoſius eſt magnatibus & proceribus, quàm calumniatores bonorum: cùm verò calumniæ aſſiſtãt, teſte Luciano, ignorantia, ſuſpicio, liuor, inſidiæ, fraus, Principes ſapiant, & ſint circumſpecti, ne viri boni & optimè de Repub. meriti ab illa vafra bellua lanientur.

Ni prius audieris ambos, ne cernito litem.

CCXII.

Ambitiosus aulicus proculdubio est censendus, qui prætextu Regiæ dignitatis amplificandæ, omnia pro animi libidine administrat, veteres officiarios etiam probatos absque ratione mutat, alios in eorum locum substituit.

CCXIII.

Aulici in quorum potestate est princeps, & ex quorum voluntate gerit omnia, quàm diu boni sunt, neque immoderata affectant, bonis consilijs & salutaribus Reipub. innotescere possunt.

CCXIV.

Aulici matrimonia oblata à Principe non prudenter recusent, imò semper Principis consensu contrahant.

CCXV.

Aulicus vacuus æmulatione reliquis in consilijs & actionibus præferendus est, plusque ij suis sententiæ tribuendum, quàm reliquorum, quorum affectus sæpiùs à recta ratione deflectit

CCXVI.

Aulicus fugiat dignitates, ad quas sine scelere peruenire non potest: non enim sunt felices & diuturnæ.

Vitel-

CCXVII.

Vitellius aulicus, quo gratiam Agrippinæ pararet, cõſilijs eius ſe implicauit. Quod obſeruent aulici ſtudioſè, & fugiant.

CCXVIII.

Improbi aulici quacunque arte & pacto poſſunt ſtudent, ne Principis defuncti liberi, quem læſerunt & contumelijs affecerunt, ducatum abſque difficultate adipiſcantur: cùm vltio ex filijs ſit timenda Remoueantur tales ex aulis Principum.

CCXIX.

Quod politicus aulicus aggreditur ſiue pacis, ſiue belli tempore, cultu vultuq; quàm maximè ad rem expediendam accommodato, aggrediatur.

CCXX.

Didius ſenectute grauis & multa copia honorum, per miniſtros agere & arcere hoſtem ſatis habebat. Quod notandum, ne egregij Duces Aulici, Politici, Iuriſconſulti exiſtimationem multorum annorum curſu adquiſitam, amittant momento vnico.

CCXXI.

Incertæ ſunt res Potentium: igitur aulicus propriæ virtuti, non alijs fidat.

CCXXII.

Erat Cappadociæ procurator Iulius Pelignus, ignauia animi, & deridiculo corporis iuxtà deſpiciendus, ſed Claudio perquàm familiaris, cùm priuatus olim conuerſatione ſcurrarum iners otium oblectaret. Noli itaque mirari ineptiſſimos quandoque in aula fieri magnos.

CCXXIII.

Tales ſi gratia & potentia Principum fruuntur, cuncta malefacta ſibi impunè licere exiſtimant.

CCXXIV.

Agrippina Statilium Taurum opibus illuſtrem peruertebat. Cautè igitur locupletes aulici vel ſubditi cum principibus verſentur, ne cogantur dicere:

Villa mea me perdidit.

CCXXV.

Dominationis cupidi aulici, cuncta regno, decus, pudorem, veritatem, corpus & animam viliora habent. Tales non patiatur aula.

CCXXVI.

Xenophontis Medici exemplo & ſcelere, tum Imperatoris Baiazetis Medici edocti, colligimus magna facinora ope Medicorum

in au-

in aulis peragi. Itaque non nisi pij vocentur, vt suprà.

CCXXVII.

Aulicus ne agat id inscio Principe, ex quo inuidia in principem queat redundare.

CCXXVIII.

Aulicus ne eum lædat cuius fratres & propinqui vltores sunt metuendi, scribit in marmore, non in puluere lædens.

CCXXIX.

Prudentes & boni aulici in pari potentia societate concordes esse possunt.

CCXXX.

Aulicus res quas aggreditur exactissimè cogitare & ruminare debet, vt bonum exitum medijs aptis adhibitis sortiantur.

CCXXXI.

Aulicorum consilia cùm sint Guicciardino teste, venalia, curet princeps, vt in aula nihil venale, ambitioni, aut corruptionibus peruium sit.

CCXXXII.

Aulicus ne ex eo spiritus sumat quod beneficio principis honores & opes cumulatè accepit: quia sæpè interno affectu Princeps eum odit, cui multa confert.

CCXXXIII.

Aulæ magiſtri & Principum iuuenum Præceptores conniuere debent ad aliqua in illa ætate, quæ cum nullius iniuria fiunt, vt in cæteris rebus maioris momenti, illos regere queant.

CCXXIV.

Semper relinquitur limen illius aulici, qui in Principis odium incidit: infortunatus aulicus tales obſeruet, & in priorem ſtatum poſitus talibus ne fidat.

CCXXXV.

Patriæ neceſſitas, amplitudo nominis, & opum copia exigit, vt aulicus equos alat: & quò quis eſt generoſior, eò libentius in generoſum animal docile ad pugnam, & idoneum ad defenſioné corporis, ſumtus facit.

CCXXXVI.

Aulico futuro inprimis peregrinationes neceſſariæ ſunt: vt in militi futuro, vt alienis moribus perſpectis, cautiores efficiantur vſu rerum, & linguarum cognitione inſtruantur, & ſpeculum mortalium teneant, in quo, qualis ſit hæc vita, in via ad aliam cernitur.

CCXXXVII.

Prudens aulicus nunquam exuat priſti-

num obſequium, cuius gratia locum tenet, ne ſua negligentia alijs & nouis aperiat viam.

CCXXXVIII.

Prudentis aulici eſt inimici conſilia in contrarium vertere, & media quibus vtitur, occupare.

CCXXXIX.

Quamuis inimicorum aſtus in aulis intelligamus: tamen non ſemper conducit idipſum aperire, ſed melius, ad tempus aliquod diſſimulare.

CCXL.

Aulici indigna & muliebris eſt defenſio miniſtri, in primis in cauſa religionis, qua culpam in principis iuſſionem reijcit, vt enim ex aula expectat, more nonnullorum Profeſſorum in Academia menſtruam fidem habentium quid debeat credere: ita nihil conſtanter & ſincerè aget in reliquis omnibus.

CCXLI.

Aulicus fugiat amores. Fama enim ijs perditur, pecunia exhauritur, ſalus fœminæ arbitrio committitur, & vigor ingenij amittitur.

quamuis inimicorum

Vbi

Vbi ſum, ibi non ſum: vbi non ſum, ibi eſt animus,

inquit Plautus, cùm amantis anima ſit in re amata. In ſumma inquit Petrarch.

Sò com, e in conſtante, vaga,
Timida, ardita vita degli amanti:
Ch'vn poce dolce molto amare appage,
E'l breuiſsimo riſo, ei iunghi pianti.

CCXLII.

Aulicus à ſeruorum familiaritate, filios abducat: nihil enim ex contubernio ſeruili, niſi abiectum & ſordidum oritur.

CCXLIII.

Ars eſt deteſtanda multorum aulicorum, qui aliter creſcere non poſſunt, vt ad potentiam Principum adipiſcendam laudent ſororum vel vxorum formam & elegantiam, vt Principem accédant, & hoc módo ſibi deuinciant.

CCXLIV.

Principem aulicus longè fugiat, qui malam ſuſpicionem concepit, & omnia dicta & facta in deterius accipit.

CCXLV.

In aula ratio quæſtuum & erogationum inter ſe probè congruere debent.

Si anni

Si anni videas circuitum explere volati
Summas rationes, tabulasq; diariorum:
Et paria simul confieri: æquare vicissim
Sumptum potes admittere, præstare tamen, si
In subsidijs est aliquid tibi repostum.

CCXLVI.

Qui apud principem vrget & præpollet, omnium aulicorum, si potest fieri, animos & beneuolentiam sibi comparet, ne tempore gratiæ effusæ, habeat mutuis odijs sibi inuisum.

CCXLVII.

Aulico forti & strenuo, terra potest, in qua viuat, non in qua præclarè moriatur, deesse.

Vn belle morir, tutta vita honora.

CCXLVIII.

Ad subleuandum metum, eius qui malè de te in aula suspicatur, ars est bona, Cornelio teste, blandimenta, illecebræ & honoris oblatio. Qui vincere aduersarium ex tuto cupit, beneficijs & gratia certet bona.

CCXLIX

In aula magna & factionum plena potentis aulici amici, mors infringit socij autoritatem, præsertim si bonis artibus ambo

fuerint prædıti & princeps ad deteriora inclinet.

CCL.

Aulici omnes aut natura sunt facti, aut ita edocti & exercitati, vt velent odium fallacibus blandimentis, & porrigant obuiam euntibus sine corde manus.

CCLI.

Seneca interrogatus, qua ratione ad extremam ætatem in aula viuendo peruenisset: respondisse fertur: Iniurias accipiendo & gratias agendo Hoc discat aulicus, vel aulam tempestiuè relinquat.

CCLII.

Causa cur multi aulici nullos progressus faciant: in eo consistit, quod spectent diuersas spes, & nulli firmiter adhæreant patrono.

CCLIII.

Prudens aulicus nunquam voluptatibus principis, si modò honestæ sint, aduersetur, nam à gratia excidet, & frustrà se opponet.

CCLIV.

Aulicus non tàm verbis, quàm silentio quærere debet.

CCLV.

In aulis infrequens non est: at non semper

per tutum, vt aulici ſecretis criminationibus incuſent alios: videant ergo quem incuſent. nam ſæpè validius ab incuſato alijs criminibus accuſantes repelluntur.

CCLVI.

Peccamus aulici plura, dum demeremur, quam dum offendimus.

CCLVII.

Semper Vatinius in aula inuenitur corpore detorto, facetijs ſcurrilibus, primò in contumelias aſſumtus, deindè optimi cuiuſque criminationem, vt gratia, pecunia & vi nocendi peſſimos ſuperet.

CCLVIII.

Ars eſt improborum aulicorum, qui Principis gratiam colligere ſtudent, vt inquirant ſtudioſè, quibus ſit princeps infenſus, eoſque poſtea apud ipſum varijs criminationibus accuſent: vti Senecæ accidit.

CCLIX.

In aula ſi princeps duos pluresvé ſuſpectos habeat, tùm debent illi, exemplo Senecæ, mutuos ſermones & colloquia crebra intermittere.

CCLX.

Aulicus ſtudeat facetijs, ouis more non apri: nec, dicunt Itali, ludas in eo, quod do-

let nec dicteria, de vero proferas. Asperæ enim facetiæ, & quæ multum ex vero traxēre acrem sui memoriam relinquunt.

E' schernisce il Zoppo dee essere dritto.
Te respice: quid quoties obijcis cuiquam,
Irrisio regerit eò se, vndé ducerit ortum.

Aulicorum captiuorum delicta probanda sunt, ne dicantur innocentes, ob inuidiam vel metum extincti.

CCLXII.

Stulti sunt aulici, qui veteres opes luxuriosè consumunt, sub spe diuitiarum de nouo adquirendarum.

CCLXIII.

Cautus & prudens aulicus, etsi à Principe parum æstimatur & diligitur: nunquam tamen indignationem contra eum ostendere, sed obsequium vbique exhibere debet.

CCLXIV.

Miserum est in aulis, & rata temporum felicitas, sentire quæ velis, & quæ sentias dicere.

CCLXV.

Imò & in ijs pietatem quæ concernunt: debent aulici à superuacanea tamen rerum inutilium inquisitione, & Phrasium innouatione in sacris abstinere, & simul præcauere, ne

ne nouorum magistrorum & hominum de templo leuitatem respondendo & subscribendo probent, ac iniquitatis & inquisitionis socios & executores se præstent.

CCLXVI.

Aulici concionatoris est dissentientem placare vt fratrem: monere vt hominem: obiurgare vt errantem, & humanitatis sparso sale argumenta contradicentis diluere: sed hodie.

Vi procerum supplent cum verba probantia desunt,
Textaq; cum debent soluere crura, ligant.

CCLXVII.

In occupandis regnis, verè nihil salubrius, quàm pro milite vti verboso concionatore aulico, is plus efficiet calumnijs, mendacijs, quàm miles armis. Confirmant hoc Iesuitarum actiones in obsidione Parisiensi. Sic nunquam Georgius à Kunstat Podibradius, regnum Bohemiæ obtinuisset, si non velo religionis & buccinatore Roikizano, Sacerdote vsus fuisset, neque infrequens est apud alios. Quod tamen consilium, bonus vir aulicus non semper suppeditet principi.

CCLXVIII.

Natura excellentem aulicum, semper

præferas tantum arte exculto. Natura namque semper perfectius agit, & si quæsieris, cui maiorem laudem tribuere debeamus, naturæ an arti? Natura, vt ille inquit, decreto quodam tacito vindictas feret. Ars tamen certior dux est.

CCLXIX.

Aulicus actam ætatem & per multos annos cum dignitate continuum vitæ ordinem non facilè, etiam molestum, potest deserere.

CCLXX.

Aulicus, qui ob aduersariorum criminationes Principis odium incurrit, requirat statim obiecta & expurgaturum se affirmet: si notitiam criminum & copiam diluendi habuerit, vt supra.

CCLXXI.

Reperiuntur homines in aulis nouis, qui cuncta curãt afferri venalia, vt inde lucrum capiant, qui in exordio gubernationis cum mercatoribus expellendi sunt.

CCLXXII.

Prudens aulicus diligenter apud se pensitet, quem & qualem pro intimo amico, & etiam ministro recipere velit. Nam sæpè pro amico & ministro venalem & emptum testem proditoremq; cognoscimus.

CCLXXIII.

Aulici liberius in conuiuijs differentes, quantum fieri poteſt, famulos excludant.

CCLXXIIII.

Gratioſi aulici quantò potentiores, tantò erunt inuiſiores: niſi authoritatem humanitate muniuerint: ea ſi non extinguere, minuere tamen poterunt inuidiam.

CCLXXV.

In aula ſemper nouorum Principum miniſtri ſunt diſcordes, & quis primas teneat, in diuerſas factiones ſcinduntur: cui malo in tempore occurrendum.

CCLXXVI.

Iſtum, aulice, inter reliquos caueto, qui rei faciendæ gratia, nunc huic, nunc alij factioni adſtipulatur.

CCLXXVII.

Princeps licet aulicum proprio affectu diligat: tamen ſtudeat ſimul habere validum patronum, qui principis voluntatem in ſui fauorem accendat, vt ſupra dictum.

CCLXXVIII.

Aulico parum refert, quomodo à cæteris æſtimetur, dummodo Principi prudenti, qui illum ſublimare & exaltare poteſt, probetur: prout fertur Stephanum regem Po-

loniæ Magno Cancellario, tunc temporis Caſtellano, more maiorum ſtanti dixiſſe: Faciam, vt breui poſſis ſedere.

CCLXXIX.

Rarò in aulis ſimplex ſermo inuenitur, Galba cum Piſone loquente teſte: Ego & tu, dicebat, ſimpliciſſimè hodie loquimur: cæteri libentiùs cum fortuna noſtra, quàm nobiſcum.

CCLXXX.

Aulici qui noluerunt alicui dignitatem quandam voto ſuo conferre, effuſius cæteris euecto gratulantur & gaudere ſe ſimulant.

CCLXXXI.

Aulicus etiam in habitu, inceſſu & ornatu ſuo, multum adhibere debet curæ, ne ex his congruis vel incongruis oriatur laus vel vituperium.

CCLXXXII.

Aulicus ſemper conſilia & actiones ſequatur, quæ nobis honeſtatem, æmulo inuidiam adferunt.

CCLXXXIII.

Mendaciorum aulicorum inprimis hæc eſt natura, vt quando incipiunt, primum vagus & incertus rumor ſpargatur, mox creſcente mendacio, præcipui quidam cum

con-

concionatoribus affirment, quod ipsi nesciunt, vt ita populo credulo imponant. Res vt clarior fieret, posset probari exemplo recenti, at valdè odioso.

CCLXXXIIII.

Plurimi aulici callidi, audaces, prompti prout animum intenderint, praui aut industrij sunt, eadem vi.

CCLXXXV.

Non sufficit aulicum extra vitia esse, si non & cum virtutibus sit ad hoc, vt gratiam & autoritatem in aula adipiscatur.

CCLXXXVI.

Aulicus famæ nec sit incuriosus, nec vendicator, pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicę auarus.

CCLXXXVII.

Ars mira est in aulis eludendi vulgus, quod coercere non possis, vt si necem alicuius vel captiuitatem flagitat iniustè, iram simules, & maiora te facturum affirmes, interim illum calamitate & supplicio eximas.

CCLXXXVIII.

Quod I.C. Callistratus respondebat, id cur ad aulicos non transferatur, causa nulla est. Aulicos quoslibet, in vlteriorem familiaritatem prouinciales non debere admit-

tere, cum ex conuersatione æquali, contemptio dignitatis nascatur.

CCLXXXIX.

Aulicus auctor sit Principi, ne disputationes frequentes publicas & altercationes in causa religionis permittat.

Nam seruare modum laus est, nimiumque mouendo
In dubium trahitur religiosa fides.

CCXC.

Aulicus peruersus scit nihil esse compendiosius, quàm aqua turbida piscari.

CCXCI.

Magnus aulicus det operam, vt erga Principem sermone vtatur reuerenti, de se moderato, nihilque in vultu habituq; mutet.

CCXCII.

Graues aulici debent lento gradu incedere, & tarda voce vti.

CCXCIII.

Aulicus si negotium magni momenti cũ Principe habet tractandum, id deferat auribus eius, nullo alio negotio defatigatis, ne labor vel sit imperfectus, vel inanis.

CCXCIIII.

Omnis aulicus, oportet, vt sit natura & arte compositus alliciendis hominum moribus:

ribus: sic enim facilius negotia ad finem perducet.

CCXCV.

Aulicus vbi occasio se ostendit, in qua ipse ingenij & doctrinæ vim palàm, citra iactantiam ostendere potest, semper ea vti debet, consideratè.

CCXCVI.

Ita in aulis plerunque comparatum est, vt honor imperij penes Principem: vis & potestas penes ministrum aliquem, quantiuis precij sit : vt in Titiano & Proculo videndum.

CCXCVII.

Prudens aulicus caueat, ne in moræ ægritudinem & spei impatientiam dilabatur: licet talis sit herba patientia, quæ adterat infinitis mortem.

CCXCVIII.

In aula, bello & tota humana vita, spes & præmia in ambiguo sunt, certa funera & luctus: vnde eruditissimus & eloquentissimus vir, condimentorum aulicorum non expers dixit:

Vita quid est hominum, nisi spes incerta, metusq;?
Hæc inter dubij, viuimus & morimur.

Item:

Vita quid est hominum? spes & formido futuri:
Multum tristitiæ, lætitiæq; parum.

CCXCIX.

Aulicorum ministrorum mos est, apud Principem, vt sua quisque facta extollat, etiam (vt dicebat eximius quidam Politicus vir, magni nominis & summæ eruditionis) in lepore capto, falso vera, aut maiora vero miscens.

CCC.

Consuetudo seruitij cum Principe exigit vt etiam pro iniurijs agantur gratiæ.

CCCI.

In aulis magnos progressus non faciet contumeliæ insolens, & ludibrium ferre nesciens. Patienter itaque hanc vitam & viam conterat, vt supra.

CCCII.

Miseræ aulæ principum, in quibus nemo probitate & industria, neque doctrina certare, sed iter solum ad potentiam & dignitates arripere quilibet conspicitur.

CCCIII.

Improbi aulici præfecturas & alia officia vel bona non obtinentes, solent iniquam ira-

cundiam flagitioſa perfidia vlciſci, quod nonnullis Theologis quoque infrequens non eſſe, exempla probant.

CCCIIII.

Semper iuuabit aulicum potentes ſequi, & vincentis veſtigijs inſiſtere, ſi honeſtè fieri poteſt.

CCCV.

Ab aulico, quæ apud Principem infami gratia adquiruntur, læta ad præſens, malè parta, mox in perniciem vertuntur.

CCCVI.

Aulici debent voluptates proprias & curas ex ſanitate vel ægritudine Principis vel remittere, vel intendere, & mortuo principe, non vt Theologus quidam ſuperbus, beatè mortuo optimo principe, *Te Deum laudamus* canere, ſed debito modo deplorare ſeceſſum immaturum.

CCCVII.

In improbo aulico patefacit auaritiam, ſuperbiam, ac omnia occulta vitia, felicitas. Mirum itaque non eſt, quod ad ſummum euecti nimia felicitate fruentes euertantur.

CCCVIII.

Callidi aulici ſolent ſpecie obſequij regere principem: præſertim ſi princeps ſocordis.

cordis.

cordis, ignauiæ & simplicis naturæ ostenditur.

CCCIX.

Aulicus ad omnia quæ agenda sunt, quieta cum industria accedere debet, & sine iactantia, actis, ocioso similis.

CCCX.

Turpe est, quidem dictu, at ita radicitùs introductum omnium aularum proprium, vt dona nobis aditum ad gratiam, fauorem & officia aperiant. Qui est perfectus aulicus & prudens, debet potiùs carere & officio & gratia, quàm eo pacto colligere.

CCCXI.

Is dicitur mos aulicorum in curiis principum, teste Zasio, vt neminem frustra promoueant: & promissum ijs soluendum est, nisi summum vendiderint. Prudens aulicus hunc morem improbet & fugiat: raro enim expedit.

CCCXII.

Nihil est quod aula det absque argento:

Nauigat infelix, qui caret huius ope:

Et ipse manus impositiones & Spiritus sancti dona venduntur, teste Ænea Siluio: nec peccatorum venia, nisi nummatis in aula Romana impenditur.

Au-

CCCXIII.

Aulici ſapiunt, qui accepto beneficio aliquo aulæ valedicunt. oſtendunt enim animum expletum eſſe, & ſe periculo ſubtrahunt. Quia in Curiales frequenter accidit, Ænea Siluio monente, vt veluti ſues, vbi ſaginati ſunt, in cœnam Domini mactentur.

CCCXIIII.

Quod etiam eo modo neque iniuria fieri poteſt, vt ſubducta ratione, & calculo inſtituto, quid in aulam attulerint, quid dotis forſan, ſtipendij & gratiæ loco annuatim habuerint, reliqua tanquam ablata, reſtituant: inprimis quando iuniores principes ſunt ſub cura.

CCCXV.

Qui opes magnas adepti apud principes perſeuerant aulici, non eo fine manent, vt gratias referant: ſed vel tutò abire nequeunt, vel nondum auro repleti ſunt: Et vitam quam ſciunt eſſe malam, mutare non poſſunt.

CCCXVI.

In aulis ſi deeſſent Thraſones, in vanum clamarent Gnathones.

CCCXVII

Aulicus ita quærat opes, quaſi de ijs non

ad-

admodum ſit ſollicitus, cùm diuitiæ plærunque comitentur indignos, Ariſtotele authore: & diuites vel ſint impij & iniqui, vel iniqui hæredes.

CCCXVIII.

Aulicus non eſt laudandus, vt neque alius, qui multa cupit & pauca aggreditur, oportet namque animum & opera conuenire, ſi quis commendari poſtulat.

CCCXIX.

Aulicus non ita animo ſe dimittat & ſpē abijciat, ſi ſtatim princeps cui inſeruit, illum beneficio non ornet. nam differtur aliquando tanquam maiori merito.

CCXX.

Aulici probi ſolam rationem præuiam & honeſtatem in conſilijs habere debent, ſequatur qualis qualis euentus, nihil ducentes. Callidi verò in ſermone ac in vita ſunt ita comparati, vt ex euentu rerum aduerſa abnuant, vel proſpera cognoſcant.

CCXXI.

Aulicus cum varijs hominum generibus tractaturus, variè etiam ſe gerat. quod facilè poterit, ſi naturam & mores hominum nouerit.

Auli-

CCCXXII.

Aulicorum peſtiferum genus eſt, qui rei faciendæ cauſa, falſum pro vero confirmant, laudantque quæcunque honeſta ac inhoneſta audiunt à principe, gynæceo & vulgo laudari, & in aures principum, fictè & ſimulatè, vt Cicero loquitur, inſuſurrant: & rurſus ijs vituperantibus, vituperant laudanda, polypi ad ſpeciem, non colorem, ſed animum ratione ſoli, mutantes, & conſcientiam venditantes, quæ putrefacta gignit vermiculos immortales: ſpecioſa & munda tanquam facies pulcra animæ, gratiam Dei conſeruat.

CCCXXIII.

Improbi & indocti aulici, vt melioribus & doctoribus, viam præcludant, ſempiterna memoria dignos, ne emergant, quacunque poſſunt arte premunt: malitia enim, calumnia & mendacijs nunc celebrant pro ſua libidine bonos & improbos viros, à quibus bonus, cautus, optimus venditur princeps.

CCCXXIIII.

Aulicus & miles inter cætera etiam in eo differunt, quod miles ſoleat, vt plurimum apertè ac ſimpliciter ſimultates exercere, idem habet in ore, idem in corde: contra, aulicus fingit, ſimulat, decipit etiam, ſi occaſio pa-

ſio patitur. Pacis itaque tempore nudum & merum militem euertet aulicus.

CCCXXV.

Aulicus cautè ſe gerat, tàm circà offenſas acceptas, quàm alijs illatas, & ab vtroq; hominum genere ſe tectum ſeruabit.

CCCXXVI.

Aulicus ne in ancipitia incidat, ſciat in rebus dubijs multos conſilium dare, paucos vel nullos partem periculi ſumere.

CCCXXVII.

In aulis ſtat in occulto inuidia & auaritia: adulatio & ambitio in aperto. Claudianus:

Trudis auaritiam, cuius fidiſsima nutrix Ambitio, quæ vectibus foribusque potentum excubat ad inuidiam amoliendam, ne tamen deſcendas ad vitiorum irritamenta.

CCCXXVIII.

Inter prudentis aulici numeratur indicia, loqui de abſentibus principibus, ſemper tãquam eſſent præſentes: ſæpè enim nonulli ſermones inducuntur artificiosè, de aliquibus principibus, vt prębeant occaſionem obloquendi.

CCCXXIX.

Modeſtia & ignobilitas ſunt mali comi-

tes

tes in aula vt & in bellis. Caueat itaque aulicus ne nimia modestia, quæ vulgo *frigiditas* appellatur, laboret: erit enim ex sententia Taciti præmiorum expers.

Malus est minister regij imperij, pudor.

CCCXXX.

Magnus semper erit aulicus qui præstat se cunctis vitæ officijs æquabilem, opum contemptorem, recti peruicacem, & constãtem aduersus metus.

CCCXXXI.

Prudens aulicus nunquam aliquem accuset vel criminetur: cum dubia in hoc est voluntas principis. frustrà enim aget, & perniciem sibi adquiret.

CCCXXXII.

Tutus vbiq; manes, si calliditate valebis
Non est simplicitas digna fauore magis.

CCCXXXIII.

In sententijs ambiguis, quæ contra Principis prudentis votum profers, directoque currunt, conuenit quiescere, quàm vrgere.

CCCXXXIIII.

Aulæ sunt plenæ fallacibus amicitijs & occultis insidijs, quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis vinculo.

Au-

CCCXXXV.

Aulici varia prædandi vocabula adinueniunt in perniciem subditorum, quæ amittere fisci vel ærarij causa, non debent principes. Fiscus enim nunquam malè habuit, nisi sub bono principe.

CCXXXVI.

Sicut prata humorem: sic aulicus honores, & miles prædam semper sitit.

CCCXXXVII.

Is aulicus artifex, in politicis censendus est, qui variarum rerum & linguarum cognitione, religionis, historiarum, iuris, politices, consilio firmo, lingua diserta, & calamo expedito instructus est. Sit sermone blaudus, stilo grauis, calamo excellens, arte politus, vestitu splendidus, conuiuijs magnificus.

CCCXXXVII.

Aulicus etiam in iure excellenter versatus, ne facilè partes aduocati (alioquin Imperatorum rescriptis nobilissimas & amplissimas) assumat his moribus, propter authoritatem & dignitatem conseruandam, tum propter fauorem multorum retinendum. Cùm illa pestis Europæ, Caininum illud studium, propter abusum concessum *latrocinium* vocetur: & nulla causa sit tàm sordida, tàm

iniu-

iniusta, tàm vulnerata, imò nefanda, impia, scabie, lapra & omni vitiorum genere deprauata, quæ non habeat emunctores nummorum, egregios patronos & defensores. Fugiat nomen & rem: cum mercenariorum more hodiè conducantur annuatim paucis nummis, ad iurisprudentiam nullo precio nummario æstimandam, tractandam, imò constuprandam. Insuper rectè Imperator Iustinianus constituit: ne quis audeat in vno eodemque tempore tàm aduocatione vti, quàm consiliarij cuiuscunque magistratus, quibus Respublica gerenda committitur, curam arripere: cum satis abundè sufficiat vel per aduocationem causis perfectissimè patrocinari, vel assessoris officio fungi: ne, cùm ad vtrumque festinat, neutrum benè peragat, sed si aduocatus esse maluerit, hoc cum debita solertia implere possit: vel, si assessionem elegerit, in ea videlicet permaneat.

CCCXXIX.

Aulicus magna sibi per xenia & munera planiciem sternere, & offendicula amouere potest quo medio vti quandoque ob deprauati seculi conditionem, necesse est: quod tamen non pugnat cum superioribus.

Au-

CCCXL.

Aulicus an ipſe xenia accipere poſſit, quæritur? Et cum Antonino Imperatore reſpondemus: ὄυ τε πάντα, ὄυτε πάντοτε, ὄυτε παρὰ πάντων, *neque omnia, neque quouis tempore, neque ab omnibus.* Nam valdè inhumanum eſt, à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimũ, omnia auariſſimum.

CCCXLI.

Laude digni illi ſunt, qui à priuatis & pauperibus nihil inprimis iuſticiæ promouendæ cauſa: ſed à Principibus oblata grata mente accipiunt: deteſtandi & inteſtabiles, qui iuſticiam & veritatem vendunt.

CCCXLII.

Aulico ſtipendium integrum ante tempus definitum, remoto vel dimiſſo, ex cogniti iuris diſpoſitione debetur: Remotus propter culpam, non perdit ex ſententia ICtorum ſalarium præteritum, ſed futurum.

CCCXLIII.

Iuuenes & tyrones in aulis loco ſemper poſteriore ponantur: nec enim patimur, inquit Imp. Honorius, quemquam celſiorem gradum obtinere, niſi cui & laborum aſſidui-

duitas & stipendiorum prolixitas suffragantur & Arcadio & Honorio rescribentibus:

Honoris augmentum non ambitione, sed labore ad vnumquemque conuenit deuenire.

CCCXLIV.

Aulicus ne gloriosus appareat corã principe, & accepta omnia Principi referat, & in loco magnorum ne steterit. melius enim est, vt dicant tibi, Ascende huc, quàm vt humilieris coram Principe, quem viderunt oculi tui.

CCCXLV.

Noli aulicis consiliarijs dare vinum: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas, inquit Salomon: nec militibus, quia Agrippinenses largis epulis vinoque sopitos, Germani clausis foribus, igne iniecto, cremanêre.

CCCXLVI.

Nouum Principem adhuc ministris & cõtubernalibus vacuum, primo occupare solent callidi aulici & sacerdotes, sub spe magna, pietatis & vtilitatis prætextu.

CCCXLVII.

In aulis vsitatissimum est, differre in alium diem petitiones oblatas: quod etiam Roboam solenne fuit, dicenti. Ite vsque in ter-

tertium diem, & reuertimini ad me. Is qui petit, illam dilationem animadnertens, intermittat ſuadeo: vel enim nullum, vel gratum accipiet reſponſum: licet nullum reſponſum, ſit & habeatur in aula tanquam reſponſum.

CCCXLVIII.

Quemadmodum Mucianus quod diu occultauerat, tandem vt recens expromſit: ſic aulicus non ſtatim, quod in animo habet, proferat, ſed commodam occaſionem expectet.

CCCXLIX.

Aulicus ab initio ſtatuat, ſi rectè egerit, laborum aulicorum præmium eſſe: ſapere & pœnitere: iuxtà illud,

Contriui miſerè miſer tot annos
Guſtando mala, gratias agendo,
Sperando, ingenueq; ſeruiendo,
Tantorum mihi præmium laborum
Sunt, ſapere, atque pœnitere:

Si peruerſè & prauè: collectas opes, nõ profuturas hæredi.

CCCL.

Miſerum quod eſt, & miſerius quod fratres illi ſcriptum reliquerunt Anglicani:

Vitam.

Vitam, animas, operam, sumtus impendimus aulis,
Præmia pro meritis, quæ retributa putas?
Aula dedit nobis rescripta, notata papyro:
Et sine mente sonos, & sine corde manus.
Paucos beauit aula, plures perdidit:
Sed & hos quoque ipsos, quos beauit, perdidit.

CCCLI.

In aula adulantur Venientes, lamentantur Abeuntes.

CCCLII.

Aulicus sapiens quando deprehendit sibi plus prudentiæ, auctoritatis, gratiæ, virtutis & aliarum dotium à Deo datum, ac alijs: tunc cogitet, tantò magis se obligatum, ad iuuandum proximum: & Papiniano docente: interesse hominis, hominem beneficio affici.

CCCLIII.

Aulicum vix dixeris, in quo non concurrunt virtutes animi & corporis, studium agendi, cogitationes illustres, mores elegantes, actiones magnificæ & verba pura.

CCCLIV.

Principem suum aulicus né extra modũ laudibus ornet, quemadmodum enim pru-

dentes offenduntur, ſi culpaueris: ſic etiam quando præter rationem laudaueris. Lauda omnia parcè.

CCCLV.

Quemadmodum medicus in infirmitate curanda, vel membro ſanando diligenter proſpicit, ne adhibitis medicamentis aliud membrum lædatur: Sic aulicus auctor ſit Principi, vt ita curet Remp. ne conſeruando vnam partem, alteram deſtruat, inprimis in exigendis & congerendis pecunijs.

CCCLVI.

Turpe eſt aulico omnium regionum, in quibus ipſi verſandum eſt, ignorare conditionem & ſtatum: Principum potentiam, ſcientiam Conſiliariorum, familiarum originem, inſignia in primis noſſe debet. Aulicus doctus dici debet:

Non qui multa tenet: ſed qui ſcit idonea vitæ:
His dici doctus cur mereatur, habet.

CCCLVII.

Similiter quotnam habeant Principes arces, præfecturas, ſiluas, piſcinas & ſimilia: etiā quos exercitatos in arte militari, in aliiſq; ſcientijs.

CCCLVIII.

Multi ſuperſtitiosè inquirentes exiſtimant

mant totius orbis Christiani monasteria esse 225044 & Germaniam habere 52. Episcopatus, Abbatias 63. Præposituras 120. Commendaturas 22. Galliam vero 100. Archiepiscopatus. 650. Abbatias, 2500. Prioratus, 1700000. Turres. At si quæsieris quot arces, quot ciuitates benè munitas, quot bonos viros in quolibet scientiarum genere habeat Europa, multos esse mutos deprehendes.

CCCLIX.

Aulici ne sint Athenienses, hoc est, ne sciant quod est rectum & iustum tantum, sed etiam faciant.

Quid iuuat innumeros scire atque euoluere casus,
Si fugienda facis, si facienda fugis? Ion

CCCLX.

Aulicus si omnia exactè obseruarit, quæ in libris prudentum scripta sunt, memor tamen sit Psalmi, in quo Dauidis sententiam hisce versibus Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus Mauritius, Langrauius Hassiæ, inter literatissimos potentissimus, & inter potentissimos literatissimus Heros, expressit:

Qui Domino fidit, felici nauigat vnda:
Fidere principibus, ventus & aura leuis.

Etiam prorſus calumnijs eiectus & inuidia ſuppreſſus, valedicat non tantum aulæ, ſed vniuerſo mundo immundo, repetens viriliter illud:

Feci, quod potui: potui, quod Christe dediſti,
Improba fac melius, ſi potes, inuidia.

CCCLXI.

Totuſque ſit in pijs lectionibus & meditationibus ſacris, magno animo vanitatem mundi irridens, dicat:

Inueni portum, ſpes & fortuna valete:
Nil mihi vobiſcum eſt, ludite nunc alios.

CCCLXII.

Poſtremò vt breuiter cum verbis Bernhardi concludam:

Tunc inueniſti ſapientiam, ſi mala tua præterita defleas, ſi præſentia hæc bona parui pendas, ſi futura bona toto cordis deſiderio concupiſcas.

Mundo enim & aulæ ſecurè nemo confidere poteſt, vt ſumma eloquentia Antonius de Gueuara, in tractatu de vita priuata demonſtrat, & maiori cum zelo ſacra Scriptura inculcat:

Filioli, ne diligite mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: ſi quis diligit mundum, caritas Patris nõ eſt in eo: quoniã quicquid eſt in mũdo, cupiditas carnis, & libido oculorum & faſtus vitæ, non ex Patre, ſed ex Mundo eſt.

Porrò

Porrò mundus præterit & cupiditas ipsius: Qui verò præstat voluntatem Dei, manet in æternum.

Eleganter VVidebramus canit:

Vita viatoris, quasi transitus: omnia finem,
Quæcunq; immundus mundus honorat, habent.
Transit honos, virtus, fortuna, pecunia transit:
Mente Deo similis, corpore transit homo.
Transiuere patres, simul hinc transibimus omnes:
In cœlo patriam qui benè transit, habet.

Ex aulis itaque transiturus operam det, vt ex hac aula immunda & lubrica, in mundam & æternam transire, & in futura vita dies æternitatis inuenire possit.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.



HYPOMNESES POLITICAE.

DOMINI FRANCISCI GVICciardini, Nobilis Florentini, & historiæ sui temporis scriptoris excellentißimi:


RECENS EX ITALICO Latinæ factæ.

Quibus subiunctæ

Sententiæ selectiores ex historia Italica eiusdem Autoris descriptæ.

Liber ad Lectorem.

Legito me, qui iudicio vales. Italorum acumen admiraberis, & simul non leuem prudentiæ accessionem certò tibi pollicetor





INTERPRES LECTORI beneuolo S.



T *munus eorum qui alijs imperant, amplum & illustre: ita arduum inprimis maximæq; molis est, vt iure mireris hominum insaniam, qua, ex vulgari Germanorum dicterio gubernatoriam artem omnes penè profitentur, paucissimi intelligunt, nedum ea rectè vti sciũt. Neq; enim, vt aliæ disciplinæ, in vno aliquo subiecto versatur, sed omnia, quæ in hominũ vitam cadunt, ambitu suo complectitur. De prudentia vniuersali loquor, quæ principum propria est, quæ omnia, quæ ad salutem populi (suprema imperiorũ omniũ ea lex est) necessaria sunt, recte, prospicit, atq; moderatur.*

Huic νομοθετική, *quæ imperia legibus firmat, quæ earum rogãdæ, aut abrogandæ sint quibus itẽ & quatenus derogãdũ, nouit: huic dexteritas in cõsilijs capiẽdis, & deliberationib. instituendis, quâ qui pollent, penè soli Politici & prudentes audiũt: huic rei militaris sciẽtia: huic Iurisprudẽtia: huic eloquẽtia in*

exequendum Principum negotiis, legationibusq; obeundis apprimè necessaria: huic rei familiaris administrandæ solertia subsunt, eiq; certatim operam suam offerunt, & ex illius arbitrio officiũ suum exequuntur. Has tales, tamq; innumeras res (nam & singulæ harum alias, quæ sibi ancillantur, sub se scientias habent, & ferè τῶν καθ' ἕκαστα, solùm sunt, & in particularibus, quæ numero complecti non possis, versantur) prudentia ista ἀρχιτεκτονικὴ complectitur. iisq; omnibus & singulis imperat. Quin & diuinarum rerum cognitionem aliquam continet, in quas inspectionem quandam, & curam defensionemq; earum habet: cum in omni imperio ἡ περὶ θείων ἐπιμέλεια πρῶτον existat, & illa ipsa populi salus à Deo potissimũ pendeat, & ad illius gloriam, velut finem omnium supremum, iure referatur.

Cæterùm, diuina hæc regiaq; virtus, vt superiora omnia in se complectatur, adeoq; propemodum infinita sit: duobus tamen finibus, si Iusto Lipsio credas, scriptori in hoc argu-

argumento post veteres facilè Principi, potissimum circumscribitur: ingenio scilicet hominum, qui naturâ πολιτικὰ ζῶα & summum τῆς πολιτικῆς obiectum, & imperiorum natura. Et de hac quidem prudentes plurimi plura scripserunt. De illo, quod ego quidem sciam, perpauci ex professo: nisi quod sparsim quædam in historiis reperias: quippe eæ tàm ciuitatum, quàm singulorum hominum mores luculenter depingunt. De vtroq; maximè verò priore illo nonnulla noster autor, experientiam Ducem secutus, & ad τὰ καθ' ἕκαστα, magis quam quisquam alius, progrediens, sed sine certo ordine: qua in re tamen nemo eum iure reprehendat. Quem enim ordinem serues in re confusa & incerta? Varii animorum motus sunt: varii affectus: pro gentium, familiarum, ordinum, tẽporum locorum, aliorumq; quæ rebus adstant diuersitate diuersi: Imperiorum item initia, incrementa, ruinæ, casus & causæ, à quibus ista profecta, adeò incerta, confusa, & obscura sunt, vt certa methodo concludi nō posint.

Vnde & illud euenit, quod autor hic noster non vno in loco monet, vt Hypomneses *hæ, seu monita sæpè fallant, nec omnes articulos, qui quandoq; inciderint, comprehēdant. Nam si in iure ciuili, ex Iauoleni sentētia, omnis* Definitio *periculosa est parumq; est, vt non subuerti possit: multò magis in re ciuili vniuersa, cuius ius exigua quædam portio est, periculosa ea erit facileq; subuertetur. Quare aphorismos hosce minimè velut* ἀποδεικτικοὺς *vendito aut vt ijs tenaciter inhæreas, suadeo: Illud tamen verè affirmauerim, eos in hoc scriptionis genere tùm ob prudentiam quandam exactam ipso rerum vsu ab auctore confirmatam, tùm rationum & inuentionis acumen, tùm deniq; ipsam rerum varietatem cum dignitate coniunctam, palmam nō difficulter obtinere. Quare his de causis, tuo potissimùm bono, Lector Beneuole, Latinos eos feci: cui si satisfaciunt, operam me probè collocasse, & vberrimum illius fructum retulisse arbitrabor: sin minus, saltè in argumento minimè humili versatum esse, & tempus honestè fefellisse laboris aliquod præmium censebo.*

ſebo. Bene vale. Dabam a.d. V I I. Eid. Maij. Anno ſalutis humanæ 1597.

Illud etiam monendus es Lector, Italici ſermonis veſtigia, quatenus licuit, nos fideliſſimè in interpretatione hac ſecutos. Cęterùm, ſi quando locus nobis obſcurior videbatur, aut ratio Latini ſermonis id exigebat, pauca quædam adiecimus, eaque huic ſigno ( ) includi curauimus.

ARISTOTELES LIB. VI. ETHIcorum ad Nicomachum.

ΩΣε δεῖ προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ πρεσβυτέρων ἢ φρονιμων ταις ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ δόξαις ὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων. Διὰ γαρ τὸ ἔχειν ἐκ της ἐμμειρίος ὄμμα, ὁρῶσι τὰς ἀρχάς,

Id eſt.

Oportet igitur non minus attendere Expertorum & ſeniorum ſiue prudentum viſis & opinionibus citra demonſtrationē, quàm ipſis Demonſtrationibus. Quoniam enim habent oculum ex ipſa Experientia, vident ipſa principia,

PRO-

PROOEMIVM EX ITALICO Latinum.

DOminus Franciſcus Guicciardinus, omnium Hiſtoricorum noſtri temporis nobiliſsimus, excellens erat Iuriſconſultus, atq; ea de cauſa honores ampliſsimos geſsit, eique adminiſtratio & cura rerum maximi momenti demandata eſt. Plurimas quoque legationes obijt, non liberâ tantùm Republicâ, ſed & Mediceâ familiâ principatum obtinente: ſub quâ Leone decimo Pontifice Maximo, in grauiſsimis Italiæ bellis exercitus rexit, & Commiſſarius generalis Eccleſiæ fuit, eâ autoritate ac priuilegio, ſicut omnibus cõſtat, vt omnes Epiſtolas ſeu Papæ, ſeu cuiuſuis alterius Principis, quæ ad manus eius perueniebant, dùm in caſtris agebat, & reſignaret, & corrigeret, & ipſa earum argumenta mutaret: quate-

quatenus id rerum circumſtantias, & negotiorum occaſiones requirere iudicabat, idq́ue ipſorum Principum permiſſu: quippè cognouerant ij, quàm exacta prudentia, quanta iudicij dexteritas, & in conſiliis promptitudo homini illi diuinis dotib. prædito ineſſent. Quare propter eruditionem, propter rerum Politicarum tractationem & experientiam, propter honores geſtos & munera, quæ multo tempore ætate ſuâ obierat: inter omnes alios Politicos coryphæus quaſi effectus, hiſtoriam earum rerũ, quas coràm vidit, & quibus vel interfuit, vel præfuit, eâ ingenij felicitate, quam ſinguli cernimus atque miramur, meliùs cæteris omnibus ætatis noſtræ (hiſtoricis) deſcribere potuit. Scripſit etiam diuerſas Epiſtolas, quibus aliquando publicam rem fruituram ſperamus.

Scri-

Scripſit itidem Hypomneſes haſce, ſucciplenas, & ceu veras atque infallibiles longâ experientiâ ab ipſo confirmatas. Quæ quia proſunt iis, qui tàm in Principatu, quã Republica gubernaculis rerũ ſtudent, communi omnium beneficio in lucem emittere decreuimus.

Dn.





Dn. FRANCISCI GVICCIARDINI, NOBILIS FLOrentini, & hiſtoriæ ſui temporis ſcriptoris excellentiſsimi Hypomneſes politicæ.

HYPOMNESIS I.

Legato non niſi ea, quæ princeps ſeriò per illum agit, credenda.

PRinceps legati ſui opera alium circumuenturus, primò omnium legatum ipſum decipiat oportet. Sic enim ille maiore animi conatu negotium ſibi commiſſum exequetur, ſeu orandum, ſeu aliud quid agendum ſibi ſit, exiſtimans penitùs, ſeriò & ſine vlla ſimulatione omnia iſthæc à principe ſuo per ſe agi, remiſſius vtiq; aut timidius tractaturus ea, quæ ſimulatè agi intelligat. Pari cautione vtendum eſt omnibus illis, qui aliena opera falſam quandam opinionem aliorum animis inſtillare conantur.

II.

Minima quædam maximæ conſequentiæ ſunt, ideoq; cautè agenda.

A rebus quibuſdam in ſpeciem minimis,

si eæ fiant,aut non fiant, maximarum rerum momenta sæpissimè dependent. Itaque res etiam minimæ,& quæ leues videantur, circumspectè & deliberatò tractandæ sunt.

III.

Occasiones attendendæ.

Commoda sua corrumpere facilè quidē est:at ea recuperare difficilimum Omni ergò ope ijs, quorum vitæ vel consilijs fortuna fauet,annitendum est , ne occasiones eas è manibus sibi elabi patiantur.

IV.

Cum superioribus minimè contendendum.

Cum ijs contendere , quibus ob potentiam impar sis , nec vllam vindictæ contra eos spem habeas,stultitia est.Quare,vt maximè iniuria affectum te ab ijs censeas, ferendum tamen & dissimulandum est.

V.

Fortunam vtramq; in bellis rectum tueri illius inconstantia monet.

In bellicis rebus singulis penè momentis infinitæ variæq; mutationes incidunt. Quãobrem nec efferendus nimiùm animus in

rebus

rebus prosperis: nec in aduersis abijciendus est, cùm facilè mutari possint. Quod & ipsum occasiones oblatas, velut parum duraturas minimè negligendas docet.

VI.

Casus sinistri gubernatoribus metuendi.

Sicut mercatorum vt plurimum hic solet esse exitus, vt bonis cedant: nauigantium, vt submergantur: ita frequẽter is, qui diu Rempublicam administrat, sinistrũ aliquem casum tandem sustinere cogitur.

VII.

Vota vulgi rarò eueniunt.

Quæ vniuersim ab omnibus desiderantur, rarius ex eorum voto cadunt, exitumve sortiuntur. Et quidem in promptu ratio est. Nam pauciores sunt, qui de rerum summa statuunt, & pro communi salute appositè consulunt: quibus multitudinis seu vulgi desideria quam maximè aduersari certò constat.

VIII.

Optima securitatis ratio, hoste superiorem esse.

Omnis ratio, quæ à metu hostis tui securum

rum

rum te reddat, probanda est: fides ab ipso data, amici seu socij, auxilia ab his promissa, alijq́ue securitatis modi nulla tamen, ob hominum improbitatem ac casus temporum varios certior firmiorque est ea, qua res tuas ita componis, vt omnem læsionis viam ei præcludas.

I X.

Eadem felicitas.

Nihil in hac vita magis optandum, aut potiori felicitatis gradu censendum est, quã si inimicum tuum funditùs euersum, & in eum locum redactum videas, vt salus eius omnis in tua solius manu sit.

Cum qua modestiam coniunctam velim.

Sed quo felicior est, cui ea fortuna contingit, hoc gloriosior erit (& verò vt sit studebit) si ea laudabiliter vtatur, quod quidẽ clementia veniæq́ue facilitate assequetur: & sanè virtus hæc mascula generosi & excelsi animi nota est.

X.

Regulæ hæ vniuersales

Hypomneses hæ definitiones generales sunt, quæ certis quibusdam casibus, circa quos diuersa sit ratio, accommodari non pos-

ſunt. Caſus verò iſti à regulis ſeu præceptis hiſce excepti * niſi exactiſſimo prudentique iudicio comprehendi doceriúe non poſſunt.

* *quarum exceptiones à prudentibus tantum cognoſcuntur.*

XI.

Magiſtratus virum oſtendit.

Celebratum à veteribus atq; veriſſimum prouerbium eſt, Magiſtratus virum oſtendit. Quippè in eâ palæſtrâ non ſolùm idoneus ad res gerendas, an verò nullius pretij quiſpiam exiſtat, ob muneris iniuncti amplitudinem cognoſcitur. verùm etiam, qui illius mores, qui affectus ſint, propter poteſtatem ac licentiam palàm fiet. Nam quò quiſque maior eſt, hoc minus vitioſos animi motus, quin ijs regatur, refrenare, eoſve ſub rationis imperium cogere poteſt.

XII.

Subditorum eſt Magiſtratus beneuolentiam non flocci-pendere.

Omninò cauendum eſt, ne Magiſtratus ſini-

ſiniſtram de te opinionem concipiat, aut animo abs te alieno eſſe incipiat; nec vitæ tuæ innocentiæ confiditò, qui ijs moribus ſis, vt nunquam eius cenſuræ ſubiectum te iri exiſtimes, multa enim atque ea inopinata accidunt, ob quæ operâ eius indigeas.

Magiſtratus eſt, non præcipitanter, ſed occaſione expectatâ punire

Contrà verò ſuperior, qui puniendi & vindicandi animum habet, minimè præcipitanter id agat, quin potiùs occaſionem idoneam expectet, quæ dubio procul adeò commodè ei ſe offeret, vt ſine vllâ perturbationis aut malignitatis notâ animum explere poſſit.

XIII.

Omnes naturâ boni, ſed virtutis amor naturalis.

Omnes homines boni ſunt. Quod ita exaudiendum eſt. Vbi voluptatem aut vtilitatem ex vitio nullam capiunt, virtute potiùs, quàm vitio delectantur.

Varijs illecebris infringitur.

Variæ autem morum in hac vita corruptelæ ſunt, varia hominum fragilitas: quare non rarò priuati compendij cauſa in vitia prolabuntur.

Quos

Quos præmio & pœnis leges coercent.

Prudentes itaque Legumlatores præmium & pœnam fundamentum esse Rerumpublicarum voluerunt, non vt vi cogantur homines, sed quò magis naturæ semina & inclinationem, vt vocant, sequantur.

XIIII.

ἐπιείκεια quando adhibenda?

Qui ciuitatibus populisve regendis præest, plærumque in delictorum coercitione cum aliquo temperamento benignitatis, legum sanctiones subsequi debere se meminerit, & vt Itali prouerbio ferunt, liberam (mulctæ nomine soluendam) quindecim duntaxat solidis æstimandam nouerit. Cæterùm, vt omnes delinquentes puniat, oportet, ne vllum delictum maneat impunitum: quanquam locum aliquem clementiæ dare potest, præterquam in delictis grauioribus, à quibus seueritatis exemplo alios deterrere necesse est.

XV.

Scriptorum labores cautè recompensandi.

Si scriptores eâ essent animi integritudine, modestia, & gratitudine, qua debebant, glo-

glorioſum vtrique patronis eſſet, quin & æquitas ſuggereret, vt quibuſcunque poſſent, beneficijs eos cumularent. Sed quia vt plurimum alio ingenio ſunt, vel deſerendo patronos, vel laboribus ſuccumbendo, poſtquam ditati ſunt, ea ſanè de cauſa aliquantò adſtrictiores erga ipſos eſſe, & parcius habitos ſpe alere: reipſa verò præſtare hactenus, vt animum non deſpondeant, patronis eorum vtilius eſt.

XVI.

Liberalitatis fama facilè acquiritur.

Admonito propoſito ita vteris, ne illiberalis audias, atque eo nomine animos hominum abs te alienos efficias. Quod facilè cauebis, ſi vnum aliquem extra regulæ illius præſcriptum, beneficijs afficias.

Eam vim ſpes in animis hominum habet.

Eam enim vim ſpes in animis hominum ſui naturâ habet, vt vnius, quem beneficio affeceris exemplum, potiùs cæteros afficiat, & in tui amorem rapiat, quàm centum aliorum, qui nullum meritorum ſuorum præmium à te tulerunt.

XVII.

Iniuriarum quàm beneficiorum ſirmior memoria.

Firmius memoriæ hominum iniuriæ quã beneficia accepta inhærent. quin imò, cùm beneficiorum recordantur, non verè ea æſtimãt: quippe merita ſua longe maiora, quàm reuera ſint ſibi fingunt.

Contrarium de iniuria fieri ſolet, quàm multò atrociorem, quàm par ſit (aut circumſtantiæ permittant) læſi ſibi imaginantur, & ad animum reuocant.

Quare ab illis quàm maximè abſtinendum.

Itaque, cæteris paribus (aliiſve quibuſdam rationibus dicti noſtri exceptionem minimè ſuadentibus) diligenter cauendum eſt, ne huic gratificeris ijs rebus, quæ illum neceſſariò offendant, nec minus hunc lædant, quàm illum iuuent. Damnum enim quod inde reſultat, quàm longiſſimo interuallo ſuperare lucrum rationes modò allegatæ conuincunt.

XVIII.

De quo quis certiora ſibi promittere poſſit?

De eo, qui tua opera indiget, aut qui com-

communem tecum causam, commune emolumentum aut detrimentum habet, quam de alio quopiam, quem beneficijs obstrictum habes, certiora tibi promittito: quando frequentem hominum ingratitudinem experientia passim testatur. Quare cum negotij cuiusdam rationes inis, aut in auxilijs alienis spem collocas; certiora de eo tibi pollicetor, ad quem vtilitas aliqua exinde profluit, quàm quem remunerandi tui gratiâ duntaxat opitulaturum tibi confidis: quia beneficia, cum referenda gratia est, obliuioni traduntur.

XIX.

Beneficentia commendata.

Monita isthæc propono, vt mores hominum, rerum item & consiliorum vim perdiscas, vitamque prudenter agas, non vt à beneficẽtia abstineas. Præterquam enim quod generosi & verè excelsi animi ea virtus est, nec nisi à sincerè affectu proficisci potest, illud etiam constat, vel vnum aliquod beneficium ita ampliter quandoque recompensari, vt de alijs, quæ perdita censebantur, simul satisfiat. Nec dubium est, mobiles actiones numini supremo, cuius potestati nos homunciones suppositi sumus, apprimè placere, nec

re, nec vt ex præmio fructuque careant, vnquam Deum permittere.

XX.

Amicorum vſus.

Vt amicorum copia tibi ſit, operam dato Iis enim temporibus, locis, & caſibus vſus tibi futuri ſunt, quibus haud credas. Axioma hoc vt vulgare ſit, non tamen eius vim penitus perſpiciet, qui in negotiis ſuis, quæ alicuius ponderis ſint, periculum illius non fecerit.

XXI.

Candore regulariter, ſimulatione non niſi ob aliorum vulpinum ingenium vtendum.

Candidi apertique ingenii homo ab omnibus laudatur: quæ virtus genuina generoſitatis nota eſt, licet aliquando damnoſa. Econtrariò ſimulatio vtilis eſt, exoſa tamen, & neſcio quid turpitudinis habens, & ob verſutam improbamque aliorum ingenia, tantummodo neceſſaria: vt iure ambigam, vtra eligenda ſit.

Ego ſic exiſtimo, alterâ regulariter vtendum, nec tamen alteram prorſus contemnendam: id eſt, in communi vitæ vſu, priore

illâ vtendum, vt candidi nomen consequa-ris, nec minus tamen certis quibusdam, ijsque maximi momenti casibus simulationem adhibendam: quæ tantò vtilior erit illi, qui ijs, quos diximus, moribus est, cui quoque certius fides adhibebitur: quantò facilius, fidem ipsi adhibendam esse, alij existimabunt: persuasione quadam, de eius candore & ab omni simulatione remoto animo concepta, inducit.

XXII.

Simulator quo loco habendus?

His de causis eum, qui simulationi & dolis frequenter studet, minimè laudo: at qui interdum vtitur ijs, vtique excuso.

XXIII.

Negatio efficax, etiam eos, qui secus credere constitutum habent, ambiguos reddit.

Quippiam te perpetrasse, aut molitum esse si ignorari cupis, firmiter illud negato, tuo proposito semper id conducere certus esto. Quanquam enim contrarium manifestum, & penè in vulgus notum sit, adeoque ijs, quibus vel hac ratione, vel alijs iudiciis de re gesta constat, conceptam animo opinio-

nionem euellere non poſſis: conſtanti tamen negatione id aſſequeris, vt aduerſarij tui rationes conturbes, eiuſque animum in varias cogitationes diſtrahas, illiq́ue intentionem ſuam difficiliorem efficias.

XXIV.

Conſilia ſecreta ſint.

Incredibile eſt, quantum eum, cui adminiſtratio maximarum rerum commiſſa eſt, iuuet, vt omnia ſecreta habeat. Conſilia enim eius, ſi nota ſunt, non ſolùm præueniri poſſunt, atque impediri: verùm etiam, cum animus eius ignoratur, homines attoniti animoq́ue ſuſpenſi redduntur, ac timidi omnes illius actiones obſeruant.

Vnde porrò fit, vt, cum vel minimum mouet, moliturve, ſexcenta ſint aliorum commenta, varia iudicia, variæ coniecturæ: quare exiſtimatio eius atque dignitas plurimùm augetur. Quapropter qui tali loco graduq́ue eſt, miniſtros ſuos ita inſtruat oportet, vt non ſolùm ea, quæ prorſus ſcire non licet, verùm etiam omnia illa, quæ nulla inſigni vtilitate euulgantur, taceant, ſecum habeant.

XXV.

Alfonsi Hispani ars in colligendis hominum suffragiis.

Quo tempore ad Alfonsum Aragonum Regem, Principem prudentem & gloriosum in Hispania legatione fungebar eum non prius publicare seu proponere, quàm approbare aliis consilia sua solitum fuisse, obseruaui, siue bellum gerere siue noua meliori, siue deniq́ue aliud aliquid maximi momenti aggrediendum putaret: quin è contrario eâ vsum prudentiâ (scio) vt, priusquam deliberationes animiq́ue sui cogitata intelligerentur, tacitè rumorem spargeret, & quasi per emissitios suos disseminaret, regē his illisvè de causis meritò talia moliri debere: adeò, vt credi vix possit, quanto cum omnium applausu atq́ue laude deliberationes eius postmodum probatæ sint: cùm publicè proponerentur ea, quæ iam omnium calculis & quasi præiudiciis iusta aut necessaria habebantur.

XXVI.

Fortunam prudentia non penitus excludit.

Qui omnia prudentiæ virtutiq́ue tribuentes

entes fortunam prorsus excludendam censent, vel ipsi negare minimè possunt, permagni interesse eo sæculo nasci, & in ea incidere tempora, quibus eæ dotes aut virtus, qua excellas, in pretio habentur.

XXVII.

Libertatis restituendæ difficultates.

Nõ reuoco eos, qui amore patriæ inflammati periculum subeunt, vt ei libertatem (ereptam) restituant, eamq́ue à tyrannorum manu liberent. Planè eum, qui commodi suî causa hoc agit, vt Reipublicæ forma mutetur, desipere assero: quia res ea plenissima periculi est, & ipsa quoque experientia docet, paucissimos huiusmodi conatus feliciter succedere. Et vt maximè prosperè cadant, vt plurimum tamen fieri solet, vt in mutatione illa nec ex minima quidem parte propositum tuum consequaris: adhæc, perpetuę solicitudini te mancipes. Semper enim verendum, ne reuertantur ii, quos expuleras, & te occidant.

XXVIII.

Mutationes in speciem vitandæ.

Compendii fac operam in iis mutationibus, quæ personas mutant, non formam & vim imperandi. Quo enim bonum tibi est, si calamitate aut iniuria, qua prius Petrus, post eadem Ioannes te afficiat?

XXIX.

In mutanda Reipub forma audacia vtilior est timidâ & acricula nimium prudentia.

Si quis tamen omninò noua molietur, nulla re consilia sua magis infringi nouerit, quàm si ea nimium securè atque tutò in effectum deducere cupiat. Nam qui hac ratione, tempore quàm breuissimo & festinantur rem conficere cogitat, ille & plurium operam requiret, & varia simul tractet, necesse est: quibus rebus fit, vt semper hæ tales machinationes detegantur. Insuper verisimile est, fortunam à cuius arbitrio ex pendent, succensere ijs, qui eius potentiam subterfugere, & sua consilia suo ipsorum acumine in tutum redigere conantur. Tutius ergo fuerit, consilia huiusmodi audendo aliquid, & fortunam quadantenus periclitando exequi, quàm vt ea niminm tuta sint (inutili) cautione curare velle.

Lucri

XXX.

Lucri futuri, quia incertum, nulla ratio habenda.

Consilia tua ne ijs rebus innitantur, quæ incertæ sunt nec in potestate tua: nec futurorum lucrorum spe sumptus facias. Speratum enim lucrum sæpè non obuenit, & magnis nihilominùs difficultatibus intricaris. Sic videmus mercatores celebriores vt plurimum facultatibus labi, quando spe maioris lucri mutuam pecuniam ex mensis nummulariorum (cambium illi vocant) accipiunt sub grauissimis vsuris, quarum cursus & augmentum certò procedunt: & quando dies in obligatione dicta venit, præstandæ sunt: vbi, è contrario, lucra sæpè aut non obueniunt, aut saltem trahũtur diutiùs, quam spes consiliorum promittebat: adeò vt ea res, quam velut vtilem aggrediebaris, euentu ipso te oneret.

XXXI.

Delicta vix clam haberi possunt iudicem diligentem.

Si deliquisti, exactè culpam tuam perpendito, eamque probè examinato, priusquam te in vincula sistas. Licet enim diffi-

cilimum probatu delictum illud ſit, nec ita facilè veritas eius erui poſſit: incredibile tamen eſt, quàm varia iudex diligens conſideret, qui veritatem negotij curiosè exquirit: & vel minimum aliquod (iudicium, atque vt ſic dicam) ſpiraculum ſufficit, vt omnia quæ ſecretiſſima credebas, palàm fiant.

XXXII.

In honoribus & diuitiis minimè perfecta felicitas.

Aliorum exemplo honores & diuitias expetiui, atq; ea res, in hunc vſque diem, gratia Dei, ſupra ſpem conatuſque feliciter mihi ſucceſſit: & tamen quando optatis potitus ſum, ab omnibus iis rebus, quas his ineſſe mihi perſuaſeram, remotiſſima ea comperi. Quæ vtique ratio probè perpenſa ad extinguendam honorum & diuitiarum ſitim hominibus mirificè profuerit.

XXXIII.

Magnitudo imperij multis incommodis circumfuſa.

Magnitudinem imperij omnes vniuersè deſiderant: quippè cuncta eius bona fons apparent: incommoda intra eam occultè concluſa continentur: quæ ſi quis cerneret, rem peri-

periculorum, ſuſpicionum, moleſtiarum, & laborum innumerabilium proculdubio pleniſſimam tanta fortaſſis animi contentione minimè expeteret.

Diuinum quid habet.

Cæterùm hanc ipſam, tot incommodis circumfuſam, puris fortaſſis etiam animabus commendat, & expetendam reddit appetitio (principatus) qua cæteris hominibus ſuperiorem ſe eſſe quis expetit: quæ glorioſa prorſus & beatiſſima res eſt, maximè cum nullâ aliâ Deo ſimiliores reddamur.

XXXIV.

Fortis etiam improuiſa contemnit.

Improuiſa præuiſis infinitò plus nocent. Excelſi ea de cauſa animi & raræ prudentiæ illum iudico, qui in periculis ſubitis & caſibus repentinis, nec conſilio, nec animo deſtituitur: quod opinione mea perquàm rarum eſt, & paucis contingit.

XXXV.

Auaritia cum ætate creſcit.

Dubio omni caret, auaritiam cum ætate in ſenibus creſcere. Sed quæ vulgò affertur ratio, quòd nimium animus in ſenibus de-

ficiat ac imminuatur, mea opinione vix est vt obtineat. Nam imprudentissimus ille senex fuerit, qui quantò magis per ætatem ad finem properat, tantò minus indigere se vitæ huius adminiculis non intelligat.

XXXVI.

Vt cætera vitia omnia.

Et vice versa, videmus etiam augeri in senibus luxuriam (qua animum eorum, non qua vires id dico) crudelitatem, & cætera vitia.

Idq; ob habitum quendam ex diuturnitate vitæ profectum.

Quare veram rationẽ iudico hanc, quòd quò diutius viuitur, eò magis iis, quæ in mundo sunt, homo assuescit, & ob consuetudinem istam intensius ea amat.

XXXVII.

Diuitiæ malè partæ citò dilabuntur.

Vulgò existimant, & opinionem eam experientia crebra confirmat: diuitias malè partas non peruenire ad eos, qui vltrà tertiam generationem sunt.

Iusto Dei iudicio.

Diuus Augustinus: Deum permittere, vt

vt primus acquirens ijs finatur in remunerationem alicuius boni, quod in vita fecerit, quæ tamen diuitiæ postea ad vltiores vix transeunt: quia regulare Dei iudicium est, vt malè parta malè dilabantur.

Et quia posteri primorum acquirentium conseruandi artem ignorant.

Dicebam aliquando religioso cuidam, aliam etiam rationem mihi in mentem venisse: quia videlicet, qui acquisiuit opes, plærumque paupere cultu educatus est, ideoque amat eas, & artem earum conseruandarum nouit: verùm eorum filij in summâ rerum affluentiâ nati & educati, quàm difficile sit laboribus parare eas ignorant: & cùm conseruandi artem nesciant, facilè eas dissipant atque profundunt.

XXXVIII.

Carentes liberis infortunio felices sunt.

Votum liberorum, cùm naturale sit, meritò reprehensione caret: attamen nullos habere felicitatis speciem duco. Nam vel is, qui hos probos & prudentes habet, plus molestiarum, quàm consolationis sine dubio ex ijs capit. Pater meus id docuit, qui

pater

pater feliciſſimus ſuo tempore Florentiæ erat. Quamobrem vobis conſiderandum relinquo, quo loco ſit ille, qui filios deteriores habet.

XXXIX.

Litium protractionis incommoda.

Adminiſtrandæ iuſtitiæ rationem à Turco obſeruatã non penitùs reprehendo: quaſi ea præceps potiùs, quàm ſummaria ſit. Nam qui clauſis oculis, quod æquum eſt, pronunciat, magnam cauſarum partem dextrè expedit, & litigantes à ſumptu & temporis diſpendio liberat: quorum vtrumq; in noſtris iudiciis malè obſeruari videas, in tantum, vt illi, qui cauſam iuſtam fouet, expediret potius, cõfeſtim ab initio cauſã cecidiſſe, quàm poſt tantos ſumptus & moleſtias eam obtinuiſſe: præterquã quòd de candidis nigra fiant, ſiué iudicium dolo, ſiuè imperitia, ſiuè etiam legum ipſarum rigore, & interpretatione quadam calumnioſa.

XL.

Iudicis arbitrium, non libidine eius, ſed ratione recta definiendum.

Qui

Qui caſus arbitrio iudicis relictos ipſius libidini permiſſos eſſe exiſtimant, vt in his ſuo modo & prohibitu agat, grauiſſimè errant. Neque enim lex donandi illi facultatem dedit: ſed cùm omnes articuli ſigillatim lege comprehendi non poſſint, nec de his ob circumſtantiarum varietatem certum quid ſtatui, arbitrio, hoc, eſt religioni iudicantis relinquuntur: vt perpenſo iudicio, prout quæque res expoſtulat, & ſecundum quod æquius melius ſibi videbitur, ſtatuat: qui aliam vim legis exiſtimat, fallitur.

Iudex enim beneficio illius à metu pœnæ contra legem iudicantis liberatur quidem: quia, cùm caſus ille definitus non ſit, ſemper habet, quo ſe excuſet: facultas tamen ei minimè conceditur, vt, rationem excedens, aliorum ſubſtantiam donet, aut euidens eius gratia vel inimicitia vel etiam ſordes locum habeant.

XLI.

Miniſtri dominos quandoq; mutare poſſunt.

Experientia commonſtrat dominos vt plurimum miniſtros ſuos negligere, & quoties vtilitas vel animus ſuadet, eos mutare.

Illos

Illos itaque ego ministros laudo, qui dominorum exempla secuti, sua potius quàm illorum commoda curant, quod tamen saluo honore, & fide (quâ obstringuntur) integrâ fieri velim.

XLII.

Prudentiam, quæ circa particularia versatur, experientia potißimum gignit.

Impossibile est quempiam (vt præstantissimo ingenio, acerrimoque iudicio naturâ præditus sit) quosuis casus particulares probè intelligere, & quando de ijs dicenda sententia est, rectè collimare posse. Et ob id experientia necessaria est, quę omnem suam vim eò conuertit, & quasi hac sola re exerit.

Hypomnesin verò hanc rectius intelliget is, qui multitudinem quandam negotiorum tractauit, quippè qui ipsa experientia magistra eius vim atque vtilitatem didicerit.

XLIII.

Vana hominum spes principum prodigalitatem eorum patrimoniæ contra rationem præfert.

Dubio penè omni caret, plærisque potius pla-

placere principem, qui ad Prodigalitatem, quàm qui ad Parsimoniam deflectit: cùm tamen ratio contrarium potius suadeat. Prodigus enim ad extorsiones & rapinas necessariò tandem delabitur: qui parcus est, nemini quicquam aufert: & sanè plures sunt, quibus grauis & iniurius exactionibus suis sit prodigus, quàm quos profusione sua beare soleat. Ratio itaque opinionis illius præposteræ hæc est, quod maiorem vim in animis hominum spes quàm timor habeat: & maior sit eorum numerus, qui beneficium aliquod ab eo sperant, quàm qui oppressum se metuunt.

XLIV.

Concordiæ fratrum maxima vtilitas.

Concordia fratrum ac propinquorum infinita commoda affert, quæ haud ita facilè perspicias, neque enim singula exactè apparent, vtut animorum ille nexus te plurimum iuuet, magnamque penes alios autoritatem tibi conciliet. Quare opinionem hanc diligenter obseruabis, licet quandoque cum tuo incommodo coniuncta videatur. Qua in re plurimi decipiuntur, dum leui aliquo

liquo damno commoueri se patiuntur, nec considerant, quanta vice versà sint commoda, quæ latent.

XLV.

Sæpè amplius de potentiâ sui principis; quàm reuera sit, subditi iudicant.

Qui autoritatem atque imperium habet, extendere ea potest, & supra vires interdum aliquid tentare. Subditi enim quid possis, quid non possis, exactè non vident aut perpendunt: quin, potentiam tuam maiorem esse sæpiùs persuasi ea concedunt, quæ extorquere inuitis nunquam poteras.

XLVI.

Virtus à fictione prorsus aliena.

Qui neglectâ virtute boni viri nomen affectat, frustrà est: nisi enim virtuti seriò studeat, fieri non potest, vt diu bonus audiat.

XLVII.

Diligenti meditatione ea quæ acumen ingenij fugiebant, eruuntur.

Opinabar olim, si quid celeritate ingenij non assequerer, illud nec diligenti medita-

tione perſpicere me poſſe. Sed iſtam opinionem falſiſſimam eſſe experientiâ magiſtrâ didici, vt iure eum rideas, qui aliter ſentiat. Nam quò diligentiùs ac diutiùs de negotiis cogitas, hoc meliùs ea intelligis, atque expedis.

XLVIII.

Temporis beneficio fruendum in proſperis.

Occaſio rei diu à te exoptatæ cùm ſe offert, ſine longiori mora eam arripito. Omnia enim quæ in hoc mundo, adeò ſubitò mutantur, vt nulla de re certum quid tibi promittere poſſis, antequam eam penitus tuâ in manu habeas.

Et aduerſis.

Sed & ſi acerba quædam atque moleſta conditio tibi proponatur, quantum potes, differre eam conator. Varij enim caſus momentis ſingulis naſcuntur, qui difficultatibus illis te liberent. Hæc vis atque poteſtas prouerbij ſapientum: Temporis beneficio fruendum eſſe.

XLIX.

Optata ſperare incommodis non caret.

Solent

Solent sapientes quidam sperare ea quæ desiderant: solent alij nō prius sibi quicquam polliceri, quàm certissimi sint de spei conceptæ euentu. Planè in huiusmodi casibus parum quàm multa sperare satius est. Spes enim negligentiorem te efficit, & cum sperata nō succedunt, acerbiori molestiâ afficeris.

L.

Mores tyrannorum.

Mores tyrannorum cogniturus, Cornelium Tacitum legito, quo loco vltimos Augusti cum Tiberio sermones recitat.

Lapsum memoria autorem censeo: intelligi autem existimo illum in primo Annalium locum, quo die funeris Augusto ducti multus de eo sermo, & variá de vita, moribus, administratione & cōsilijs illius in Republicâ, iudicia recēsentur.

L I.

Vita eorum, qui sub tyranno.

Idem ille Cornelius Tacitas attentū lectorem exactissimè docet, quam rationem tenere debeat is, qui sub tyranni imperio viuit.

L I I.

Fatiuis.

Optimè dictū à Tragiconi ni fallor: Du-

eunt volentes fata, nolentes trahunt; quotidiana exempla comprobant, adeò, vt nihil vnquam verius meliusve dictum mihi videatur.

LIII.

Cautio pro ijs, qui sub tyranno viuunt.

Summâ diligentiâ tyrannus nititur, vt animum tuum cognoscat: & an sorte tuâ contentus sis, quæ consilia agites, quæ tuæ actiones, qui mores ratiove viuẽdi sint, obseruat: atque hæc rescire studet vel ex ijs, quibus cum familiariter conuersaris: aut dum tecum de varijs rebus sermones cõserit, quibus & conditiones quasdam tibi proponit, & quid de ijs censeas, exquirit.

At illum animi tui sensa ita commodissimè celabis, si ab ijs modis, quibus ille te circumuentum cupit, perquàm diligenter tibi caueris, itaque te gesseris, ne in suspicionem eius verisimiliter incidas: dum videlicet singula verba, etiã ad intimos tuos prolata, diligenter ponderas, & quando cum illo sermocinaris, ita respondes vt de secretioribus animi tui consilijs nihil exploret. Quod equidem facilè assequeris, si animo

tuo continuò obuersetur, tecumq; pro certo statuas omnibus dolis eum te aggredi, quo voluntatem tuam penitius cognoscat.

LIIII.

Alia eodem spectans.

Qui sub tyranno crudeli & truculento in patriâ suâ honores gerit, & honesto inter suos loco est, ei paucissimæ regulæ præscribi possunt, præterquam vt solum vertat. Cæterùm cum tyrannus, seu prudentiâ quadam seu status sui ratione ita exigente, cautus ac suspiciosus agit, hominem eximijs dotibus ornatum summâ diligentiâ anniti decet, vt acquirat famam viri strenui & animosi: sed qui natura quietus sit, & à turbis rerumque nouarum studio alienus, nisi extrema alterius crudelitate ad id cogatur. Quia tunc tyrannus blandè humaniterque eum tractabit, ac omninò cauebit, ne rerum nouarum causam ei præbeat: secus si inquietum & turbulento ingenio norit, quem quiescere non posse omnimodò sibi persuadet, adeoq; necessariò de tollendo eo cogitare, & in omnes eius rei occasiones intentus esse cogitur.

L.

Superioris cautionis vtilitas.

Qui

Qui ijs, quos diximus, moribus eſt, huius vtique melior eſt conditio, quàm eorum qui ex intimis tyranni ſunt, & quibus arctiſſima cum eo familiaritas intercedit. Neque enim blanditiis tantùm eum demulcet: verùm etiam multis in rebus minùs liberè cum illo agit (ac ſua communicat) quàm cum amiciſſimis ſuis. Ita & ex proſpero eius ſtatu fructũ aliquem percipiet, & cum ruet ille, magnus euadet. Sed hoc præcepto illi duntaxat rectè vtentur, qui in patriâ ſuâ magnæ autoritatis, & quaſi primo inter ſuos loco ſunt.

L V I.

Subditi deſperati malè contentis plus nocent.

Plurimum intereſt, ſubditos deſperatos an malè contentos habeas. Illi enim nihil niſi ſtatus mutationem cogitant, eamq́; vel ſuo periculo accerſitum eunt: hi vt formam imperandi præſentem non probent, & res nouas deſiderent, occaſiones tamen mutationum minimè attrahunt, verùm, donec vltrò ſe offerant, expectant.

L V I I.

Seueritatis exercendæ modus.

Subditi ſine ſeueritate commodè regi nõ

poſſunt,

possunt, malitia eorum ita exigente: sed prudenter & cum dexteritate quadam ea vtendum erit, vt vulgò omnes existiment, crudelitatem tibi non probari, sed te coactum, & salutis publicæ causa ea vti.

LVIII.

Blanditias hominum φιλαυτία probat.

Rem spectare decebat, non speciem seu vmbram rerum: & tamen incredibile est, quantam gratiam & fauorem hominũ blanditiæ & verba humanitatis plena concilient. Ratio puto, hæc est, quod vnusquisque honorificentius de se existimat, ac maioribus honoribus se dignum censet, quàm mereatur: itaque indignatur, si alios, non ita indignatur, si alios non ita magnificè de se sentire, quàm meritis suis deberi vanò sibi persuadet, intelligat.

LIX.

Promissa sine effectu vtilia quidem, at minus honesta.

Honorabile est atque animi verè nobilis nihil quicquam promittere, quod præstare nolis: verum tamen plærique, quibus iustis quamuis de causis petita denegas, iniquè id ferunt,

ferunt, ac tibi succensent: neque enim ratione se regi homines patiuntur. Contrà verò, qui largè nec difficulter promittit, bèneuolentiam eorum sibi conciliat. Nam & multa accidunt, vt promissa impleri nihil opus sit: adeò, vt tum verbis nudis amicorum desiderijs à te satisfactum sit: & si res ita requirat, vt fidem omninò liberare oporteat, excusationes tamen nunquam tibi deerunt: maximè cum multi adeò bardi sint, vt verba dare iis facilimè possint.

Cautio erga importunos precantes adhibenda.

Verum tàm turpe est, fidem fallere, vt eius turpitudinis cogitatio, omnem vtilitatem, quæ inde promanat, quàm longissimè superet, eaque potior sit. Quare vt responsis generalibus & spe plenis rogantibus satisfacias, omninò operam dabis: prudenter tamen cauebis, ne ijs te expressim obstringas, vel rem vllam præcisè promittas.

L X.

Verba aliis molesta sine causa non proferenda.

Omnia ea cauenda sunt, quæ damnum certum, vtilitatem nullam afferunt. Quare nunquam, nisi re vrgente, ea loquaris, quæ audi-

audientibus molesta futura sunt. Etenim stultitia est, vbi causa nulla subsit, inimicum sibi facere. Monitiunculam hanc propono, quòd in tenui hac re ferè quiuis(nescio quâ animi impotentià) grauiter impingat.

LXI.

Fortis pericula cognoscit.

Qui se periculis obijcit, nec prius qualia ea sint, considerat (ferum) seu bestialem rectè appellaueris: ille verò fortis & animosus est, qui cognitâ periculorum vi, magno animo ea subit, vel necessitate compulsus, vel honestâ aliquâ ratione inductus.

LXII.

Prudens omnis animosus.

Multi existimant prudentem virum animosum esse nō posse: propterea quòd omnes casus, omnia pericula prospiciat. Ego prorsus contrarium sentio, prudentem esse non posse, qui non & animosus sit.

Quia pericula verè æstimat.

Ille enim iudicio caret, qui periculum futurum maius æstimat, quàm debebat.

Et quorum in deliberationibus habenda ratio, nouit.

Cæterùm in hoc articulo admodum perplexo

& confuso considerandum fortè est non omnia pericula, quæ imminent, effectum sortiri. Nam quædam eorum diligentia, industriâ, animique magnitudine euitantur: alia casus ipse & infinita ab eo nata impediunt. Quare qui pericula cognoscit, haud ea omnia rationibus acceptorum inferet, aut quod omnia certò euentura sint, præsupponet: sed prudenter, magnaque iudicii dexteritate disquiret, quę προτερήματα habeat aduersarius suus, quæue auxilia speret: ac vbi fortunam fauturã sibi verisimiliter sperabit, præsenti animo audebit aliquid, nec à facinoribus virilibus ac laude dignis metu periculorum, quæ à solo casu pendere nouerit, deterreri se patietur.

LXIII.

Literæ ingenium hominum non corrumpunt.

Qui literarum studia iudiciũ hominum corrumpere dicunt, errant. Id enim fortassis de iis verum erit, qui infirmo debilique iudicio præditi sunt: sed vbi indolem bonam literæ reperiunt, perficiunt eam, optimamque reddunt. Bonum enim naturale coniunctum cum bono accidentali compositũ quod-

dam optimum perfectissimumque efficiunt.

LXIIII.

Salus populi principatus finis.

Non est inuentum principum imperium, vt suis ipsorum commodis illi studeant: neque enim quisquam in grauissimam seruitutem (sponte, alieni commodi causa) se coniecisset: sed ob salutem subditorum, vt ij benè regantur. Quare cum princeps se potius & sua commoda, quam subditos spectat, non princeps sed tyrannus est.

LXV.

Auaritia principis fœdior.

Auaritia in principe modis omnibus fœdior est & detestabilior, quàm in priuato.

Tum quia maiora liberalitatis instrumenta habet.

Neque enim solùm, quò maiorem largiendi facultatem habet, eò liberaliorem esse oportebat, & munificentiæ suæ fructibus minimè alios priuare: verùm etiam: quia omnia, * quæ priuatus habet, omninò sua ea habet, & sui vsus causa, ac de iis, ex proprio animo sine iustâ cuiusquã indignatione disponere potest. Sed omne illud quod prin-

ceps habet, aliorum vsus causa, atque vt iis indè benefaciat, datum ipsi est: quare cum omne illud soli sibi reseruat, aliós debita ipsis portione fraudare, eamque iis interuertere videtur.

** Tum quia nihil suum, sed aliorum vsus causa possidet.*

LXVI.

Mercatura à dignitate principis aliena.

Principem mercimonium exercentẽ non solùm rem turpem in se admittere, verùm etiam tyrannum esse dico.* agit enim id, quod priuatorum est, non principis: nec minus in plebem peccat, quàm plebs in illum, si ei rei, quæ ad solius principis officium curamque spectat, se ea immisceat.

** Et cum iniuria subditorum coniuncta.*

LXVII.

Ob inconstantiam rerum.

Res huius mundi variæ sunt & incõstantes, ac à tot casibus atq; accidentibus dependent, vt de futuris difficilimũ iudicium sit, & prudentissimos quosq; cõsiliis & coniecturis suis sæpius falli experientia monstret.

 Con-

Consilia nimis timida improbantur.

Quare eorum ego consilia non laudo, qui occasionem boni alicuius præsentis, licet minoris, metu mali futuri, licet maioris, omittunt, nisi hoc admodum propinquum ac prorsus certum sit. Quando enim id, quod timebas, non euenit, vano metu amisisse te commoditatem oblatam dolebis. Ideo sapientissimum duco prouerbium: Rem res parit.

LXVIII.

Aduersarij ingenio consilia accommodanda.

In deliberationibus de Republica multos errare memini, quando in deliberando spectant, quid hunc illumve principem (ex dignitate aut salute sua, & secundum prudentiæ normam) facere oporteat, non verò, quæ ille verisimiliter tentaturus sit: quia si verbi gratia, Regem Franciæ aduersarium habeas, potiùs consultandum erit, quod ingenium, qui mores Francorum sint, quàm vt ad ea, quę prudentem, peritum, aut iustum quempiam principem in negotio proposito aduersus te moliri par sit, deliberationem accommodes.

Homi-

LXIX.

Homini ingenioso & industrio vita hæc sat longa.

Sæpius dictnm repeto: Eum qui felici ingenio sit, ac tempore rectè vti sciat, causam habere nullam, vt de breuitate vitę conqueratur. Nam quasi infinitis rebus studere potest, ac tempus vtiliter collocare, adeò vt vel tempus superet.

LXX.

Cautio pro ijs, qui rebus gerendis student.

Qui rebus gerendis operam suam adhiberi cupit, possessione negotiorum deturbari se ne patitor. Nego[illegible] enim subinde noua ex prioribus oriuntur, tum propter (quandam eorum cohærētiam) & auditum, quem priora ad posteriora patefaciunt, tùm propter autoritatem, quę ex crebrâ negotiorum tractatione conciliatur: adeò, vt & huc rectè accommodari prouerbium possit: Rem res parit.

LXXI.

Actionum virtutis & prudentiæ difficultas.

Monita hæc proponere difficile est: ea verò exe-

rò exequi longè difficilius. Sæpè enim fit, vt ea quis intelligat(at si quando periculum faciendum sit)non deducat in actum.

Nisi earum habitus comparetur.

Quare si iis vti voles, affectus sub rationem cogito, habitumque(virtutis & prudentiæ)tibi, comparato: ita non solùm monita hæc facilè obseruabis, verum quæcunq; ratio iusserit, sine labore vllo efficies.

LXXII.

Seruilis ingenij Romani sub imperio exemplum.

Populorum quorundam vile, imò seruile ingenium non mirabitur, qui ex lectione Cornelij Taciti didicerit: Romanos mundi dominos, & summæ gloriæ potentiæque assuetos ita turpiter sub imperio seruitutem seruiuisse, vt Tiberius ipse tyrannici & superbi ingenij homo tātam eorum abiectionem exosam habuerit.

LXXIII.

Dissimulatio animi offensi perutilis.

Si quis (in re quapiam) minus tibi satisfaciat(nec eius mores ad gestum tuum sint) ne id intelligat, modis omnibus studeto.

Nam

Nam & confestim animo à te alieno foret, & multa incidunt tempora, multi casus, quibus opera eius vtendum tibi sit, quam vtiq; tibi non præstaret, si iudiciis quibusdam sinistræ de eo opinionis animum eius abs te abalienasses.

Autoris exemplo.

Magno meo commodo verum hoc esse didici, cùm enim aliquando malè animatus ergà quempiam fuissem, de quo tamen nihil ipsi suboluit, eius postea auxilio in negotio quopiam commodè vsus sum, eumq; mihi amicissimum habui.

LXXIV.

Gloriæ cupiditas honesta & vtilis.

Honoris & gloriæ cupiditas digna laude est, & in societate hac humana vtilissima. ea enim homines ad cogitationes atque actiones generosas atque excelsas extimulat.

Non regnandi libido immoderata.

De cupiditate Potentiæ, amplitudinisq; imperij idem dici non potest.

Quæ infinita incommoda parit.

Nam qui eam velut idolum quoddam

veneratur,& inter prima ducit,per fas ac nefas obtinere conatur, & maximorum atque infinitorum malorum caufa eft. Videmus enim principes & cæteros, qui hoc obiecto velut fine vnico mouentur, nullo (rationis) frœno retineri: bona verò & vitam aliorum libidini fuæ expofita putare,ac prædæ & periculis obiicere, dummodo id fpecies aliqua potentiæ eorum fuadeat.

LXXV.

Quæ lento tractu fiunt, opinione diuturniora funt.

Ea facinora,quæ non impetu, fed lento quodam tractu, ac fenfim confumptis primū obftaculis perfici oportet, multò diutius protrahātur, quàm fub initium eorum quifquam crediviffet. Quia vulgò obfirmant animum ad calamitates & pericula, & multo grauiora patiūtur, quàm de iis quifquam fperaffet.

Veluti bella hoftibus fenfim fractis conficienda.

Quamobrem bellum, quod fame, difficultate rerum ad obfidionem fuftinendam neceffariarum,pecuniæ inopia, aliifvè fimilibus modis conficiendum eft, longius opinione primùm concepta prolongatur.

Hecti-

Hectici & pthisici.

Quemadmodũ iis, qui hectica aut pthisi intereunt, accidit, vt vita eorũ longiùs, quàm medici opinati sunt, prolongetur.

Mercatores facultatibus lapsi.

Ita etiam mercator, antequam vsuris obrutus, & quasi consumptus bonis cedat, quibuscũq; potest modis, ac diutius quàm quisquam credidisset, contrà miserabile illud cessionis incommodum se tuetur.

LXXVI.

Blanditiæ potentiorum cautè admittendæ.

Cum potentibus conuersans eorum blanditiis aliisve externis humanitatis officiis ne capitor, ne vel iis nimiũ elatus confidito:

Quia periculosæ.

Quibus illi plærumq̃ue homines quò volunt, impellunt, eosq̃ue fauore suo quasi suffocant, (ac præcipites agunt) Hoc quò difficilius caueri potest: eò magis solicitum te habebit, vt libertate retenta nõ facilè te circumueniri patiaris.

LXXVII.

Honoris in partium studiis, prima ratio habenda.

Illæ partes tutiſſimæ ſunt, quibus adhærens honoris ſummam rationem ducis. Ita enim nec pericula timebis, nec vllam vnquam turpitudinem in te admittes. Quare regulam hanc certiſſimam firmiter tibi proponito, nec fieri poterit, quin omnia tibi benè ſuccedant. Expertus loquor.

LXXVIII.

Vanæ voces libertatem laudantium non amplectandæ.

Eos ride, nec dictis eorum innitere, qui libertatem prædicant. Non loquor de omnibus: pauciſſimos tamen excipio.

Quia ambigui hi tales.

Nam vnuſquiſque eorum, qui maiorem vtilitatem ſibi pollicetur, ex vnius aut paucorum imperio, quàm ex liberâ Republicâ noua tibi molienti & libertatem vindicanti reſiſtet: quia plærique potiorem commodorum ſuorum rationem habent, & quàm pauciſſimi ſunt, qui vim atque maieſtatem gloriæ & honoris intelligunt.

LXXIX.

Ludouici Mediolanenſium Ducis ſcelera, & pœna in poſteris.

Vix vnquam mihi perſuaſi permiſſurum Deum,

Deum, vt filij Ducis Ludouici patris sui principatum retineant, aut eo fruantur: quandoquidem cum animo meo reputo, ipsum ducem sceleratè hanc vsurpasse, & quò facilius vsurparet, extitisse caussam ruinæ & seruitutis Italiæ, & infinitarũ calamitatum, quę secutæ sunt in vniuerso penè orbe Christiano.

LXXX.

Familiaritas cum tyranno bonis artibus contracta, laude & vtilitate non caret.

Ciuis bonus amansque patriæ operam dabit, vt in bona tyranni gratia sit, non suæ solùm securitatis causa. nam periculosum admodum illi foret, si ei suspectus sit: verùm etiam ob patriæ suæ salutem. Talem quippè se gerens multas habebit occasiones, vt & consiliis & opera plurimis bonis faueat, improbis quoque quàm plurimis resistat, eorumque malitiam infringat. Qui verò hanc illius cum tyranno familiaritatem bonis artibus contractam reprehendunt, næ illi stulti ac inepti sunt. malè enim cum ciuitate & his ipsis reprehensoribus ageretur, si non nisi nequam & scelerati homines à latere tyranni essent.

Neu-

LXXXI.

Neutris esse iis expedit, ciuibus nullum à victoria huius aut illius periculum.

Laudo enim, qui aliis bellum gerentibus neutram partium sequutus quiescit: dummodò adeò potens sit, aut ea sit status seu Reipub. illius ratio, vt ipsi à victoria nullus metus, nullum periculum immineat: nam & casus aduersos & sumptus euitat: & alterius res attritæ aut turbatæ occasiones optimas fortè ferent, vt sibi vigilare, conditioné suam meliorem facere possit.

Aliàs neutralitas periculosior bello aperto.

Extra hos fines neutralitas (vt ita dixerim) stultitia est. Nam cum alteri partium te coniungis, victoriæ solùm (ab aduersario vestro partæ) periculum subibis: at cùm otiosus vtriusque incendium spectas, semper & tu, vtra earum vincat, damno multaris.

LXXXII.

Plebis importunitas cedendo accenditur.

Idem plebis, quod singulorum ingenium est, vt, quem tenent locum, semper amplifi-

care,

care, & conditionem suam melioré, auctioremque reddere cupiant.

Itaq; principiis obsta.

Quare prudenter admodum facies, si prima postulata ijs denegabis. vt enim ijs largiaris, quæ petunt, eorum cupiditatem minimè refrænabis, quin potius vt plura & quidéinstantius quã prius petant, eos inuitabis. Nã quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

LXXXIII.

De futuris ex præteritis iudicium facilè, quod vtrorumq; idem corpus non vestis.

Temporum præteritorum historiam diligenter obseruato: quippè lumen ea affert futuris: quandoquidem eadé semper mundi forma est, & quæcunque vel sunt, vel futura sunt, præterito tempore extiterũt: quia eadem res redeunt, sed sub diuersis nominibus, diuersaque figura & colore: quæ causa est, vt non à quouis cognoscantur, sed à sapiente tantùm, qui eas diligenter perpendit.

LXXXIV.

Ingenia excitata tardiusculis præstantiora, sed maioribus molestijs obnoxia.

Procul dubio omne tempus ætatis ſuæ ſine minori moleſtiâ degit, vitam magis longæuam viuit, & certo quodam modo felix nominari poteſt qui ingenio tardiori, quàm qui acri, igneo, & ſubtili ingenio, præditus eſt. Nobile enim acutumq́ue ingenium plurium laborum (moleſtiarumq́ue adde ſi velis &) cruciatuum cauſa eſt ei, qui eo præditus eſt. Veruntamen ille ad brutorum quàm hominum naturam propius accedit : hic verò humanâ conditione excelſior, & cœleſtium naturæ propinquior eſt, arctiusq́ue ijs coniungitur.

LXXXV.

Varietas temporum locorumq́; varietatem ſtudiorum, & conſuetudinum coniunctam habet.

Qui diligenter obſervat, reperiet non ſolùm vocabula rerum & habitus populorum, & mores eorum: verùm etiam quod magis eſt, inclinationes animorum, & ſtudia armorum (literarum, aliarumuè rerum ad neceſſitatem utilitatemq́; vitæ pertinentium) ſingulis ætatibus mutari, quæ diverſitas etiam uno eodemq́ue tempore in alijs alijsq́; pro-

provincijs conſpicitur: in quibus non ſolùm diuerſitas apparatus, & externorum iſtorũ: verùm etiam diuerſi ciborum appetitus, varij hominum mores, varia ſtudia reperiuntur.

LXXXVI.

Bellorum gerendorum ratio non ſemel immutata.

Ante annum MCCCC. XCIII. quo tempore ambitio atque error extremus Ducis Ludouici ad ruinam Italiæ viam aperuerunt, rationes belli gerendi, ſicut unicuique notum eſt, diuerſiſſimæ erant ab ijs, quæ nunc vigent, oppugnationes item vrbium, prælia, velitationes à præſentibus differentes, & penè incruentæ: adeò vt ei, qui ſtatum aliquem obtinebat, difficulter is auferri poſſet. Deinde verò eò deuentum eſt, vt qui in campo ſuperior erat, idem belli ſimul vniuerſi victoriam vnico quaſi impetu reportaret. Quod ſi vterque exercitus in campum prodijſſet, confeſtim & ſine morâ longiore iuſto prælio decertabant, & de ſummâ belli decernebant. Sic (ſine cæde & ſanguine &) ne haſtâ quidem fractâ Regnum Neapolitanum & Ducatũ Mediolanenſem

occu-

occupari vidimus, & vel vnico conflictu vniuersum Venetorum statum periclitari.

Hodie verò Dominus Prosper (Columna) primus omnium diuersam belli gerendi rationem commonstrauit, qui occupatis ciuitatibus, impetum illius, qui in campestri pugna superior esse poterat, retudit. Quod tamen non ita feliciter obtinebit ille, qui de ciuium fauore & beneuolentiâ certum quid polliceri sibi non possit, prout ille Mediolanensium animos à Gallis ad se inclinantes nouerat.

LXXXVII.

Occasiones rerum idoneæ non præuertendæ.

Ea ipsa, quæ tempore importuno suscepta difficilima aut impossibilia fuerunt, si tempore iusto, & quando occasiones vocant, aggrediaris, facilima sunt. Quare denuò tẽtare ea oportet.

Ne & laborem perdas, & illas ipsas corrumpas.

Nam si ea intempestiuè tentes, nõ solùm successu cares, verùm etiam periculum est, ne iustas etiam occasiones, quibus expectatis facilè voti compos futurus eras, ἀκαίρως

tra-

tractando corruperis. Quare ij prudentes censendi sunt, qui (moræ) patientes opportunas rerum occasiones, iustumque agendarum earum tempus expectant.

LXXXVIII.

Transactionis ab aduersariis commodè obtinendæ modus.

In administrationibus mihi demandatis eam rationem tenui, vt si iusta aliqua causa propositi negotii transactionem suaderet, de ea prior nullam mentionem iniecerim: sed multa protrahendo, multis aduersarios fatigando perfecerim, vt illi ipsi vltrò trãsactionem vrgerent. Ita factum, vt quod petenti priori denegatum mihi foret, de eo ego, occasione opportunum oblatâ, rogarer.

LXXXIX.

Metui à subditis vt possis.

Nequaquam arduum censeo eum præsidem subditis suis metum incutere, qui rigore & seueriori executione crebrò ergà eas vtitur. facilè enim eum metuunt, à quo in ordinem se cogi & calamitatibus affici posse, eumque in id pronum & procliuem esse norunt. Illos verò præsides laudo, qui paucis seueritatis exemplis editis metuendorum nomen acquirere & conseruare possunt.

Cru-

X C.

Cruentis & extremis remedijs raró vtendum.

Atque hoc haud ideò ſtatuo, quaſi is, qui imperat, cruenta remedia (& coercitiones ſeueriores) nunquam adhibere cogatur: ſed quòd ijs nunquam niſi ſumma neceſſitate cogente vtendum putem, cùm vt plurimùm maius ex illis damnum, quàm lucrum naſcatur.

Quòd & ipſi imperanti inutilia ſint.

Neq; enim ij ſolùm offenduntur, ad quos ſeueritas iſta pertingit: verùm etiam cæteri quoque ex vniuerſitate iniquè id ferunt. Et vt maximè inimicum aliquem è medio tollas, aut obſtaculum remoueas: nihilo tamen magis ſemen extinguitur, cùm in locum remoti alij ſuccedant: ac ſæpè contingat, veluti de hydrâ ferunt, vnius reciſi (capitis) loco ſeptem alia naſci.

X C I.

Caſus à regulis his excepti.

De monitis hiſce, quod & prius monui, illud perpetuò menti fixum habe: non indiſtinctè ea obſeruanda eſſe, ſed certis quibuſdam in caſibus, in quibus diuerſa ratio interue-

teruenìat, ea ſubuerti. Caſus verò iſti regulâ certâ definiri non poſſunt, nec plenum de ijs ſcriptum extat, quo omnes comprehendantur.

Vnde diſcendi?

Sanè omninò neceſſe eſt, vt naturæ primum lumine, deinde experientiæ adminiculo de ijs probè docearis.

XCII.

Ducis militaris munus cæteris omnibus, qua autoritatem, qua dotes in eo requiſitas præferendum.

Nullum, meo iudicio, munus, nulla administrationis dignitas maiorem prudentiam, aliasq́ue dotes excellentiores requirit, quàm illius, qui exercitui præeſt, officium. Infinita enim ſunt, quibus prouidere, quæ mandare eum oportet, infiniti caſus & prorſus varij, qui ſingulis penè momentis illi obijciuntur, in tantum, vt nec Argi oculi ei ſufficiant. Planè non ponderis tantummodo ſui, ſed prudentiæ quoque quam requiris, reſpectu, alia officia omnia ducis militaris munere (quàm longiſſimè inferiora æſtimo, & quaſi) pro nihilo duco.

Popu-

XCIII.

Populus erroribus obnoxius.

Populum si dixeris, reuera stultum ineptùmque dixeris. Monstrum enim est confusionis errorisque plenum. tantum enim à veritate opiniones illius absunt: quantum secundum Ptolomæum, Hispaniæ ab Indiis dissitæ sunt.

XCIV.

Animosum esse, & non fugere pericula, differunt.

Differunt animosum esse, & honesti causa non fugere pericula. Vterq; ea cognoscit: at ille se superaturum ea confidit: absq; quo si esset, vtique ea declinaret. Hic fortassis & plus quàm oportet, ea timet, & animũ contra ea obfirmat, atque ea sustinet, non quod metu vacuus sit: sed quia cum animo suo statuit, damnum potiùs, quàm ignominiã aut pudorem eligendum esse.

XCV.

Munus publicum suffragatoris tui arbitrio administrare nulla gratitudinis lex cogit.

Quando is, qui ad honores munusve publicum viam tibi strauit, suo arbitrio id admini-

miniſtrari cupit, beneficium collatum reuocare incipit, in ſuos vſus conuertere tentans, quod primùm alteri quæſitum iuit Quare & tu refragandi ei iuſtiſſimã cauſam habes, nec eam ob rem ingrati nomen mereris.

XCVI.

Facta iure præcepta ſingularem remunerationem non mereantur.

Minime laudi dãdum eſt te ea facere vel non facere, ob quæ non faciendo aut faciendo ea reprehenſione dignus eſſes.

XCVII.

In contentionibus maior potentiæ & autoritatis, quàm æqui boni ratio habetur.

Caſtulonenſium prouerbium eſt: ab infirmiore parte filium rumpi. Quo monemur, quotieſcunq; quis cum potentiore aut eo, qui maiorem autoritatem habet, concurrat, aut comparetur, infirmiorem & inferiorem potiùs ſuccumbere ſolere, nõ obſtante, quod ratio aut honeſtas, aut gratitudo contrarium ſuadeant. Quia vt plurimùm maior potentiæ ac dignitatis, quàm æquitatis ratio habetur.

Sen-

Sensum huius axiomatis vtcunq; expressimus, mentem magis, quàm verba spectantes: totus quippe locus in lingua Italicâ valdè lubricus, ob typi Veneti, quo vsus sum, menda.

XCVIII.

Famam potentiæ inanem autor spernit.

Nec possum, nec lubet vanis rerum simulachris me ostentare, aut autoritatem aliquam captare ex ijs, quæ reipsa aliter se habent: vtut mihi longè vtilissimum id esset.

Vtut ea vtilissima.

Incredibile enim est, quantum pondus existimatio, & de potentia tua aliorum opinio habeat. Eius solo rumore permoti se sequuntur, tibi adhærent, etiam priusquam vllum eius documentum dederis.

XCIX.

Seruorum & subditorum mores, ob eorum callidas simulationes, dominis minus perspecti.

Nemo seruorum ingenium minus nouit, quàm dominus, & consequenter, subditorum magistratus. Neque enim eodem vultu coràm ipsis, quo coràm alijs comparent:

rent: quin mores ingeniumque ſuum occultant, ſeque alios, quàm ſunt, fingunt.

C.

Vnius imperium præferendum.

Omnes conſentiunt: Imperium vnius, ſi bonus ille vir ſit, imperio paucorum aut multitudinis, etiamſi boni ſint, præferendum eſſe, nec obſcuræ ſunt ſententiæ huius rationes. Ijdem illi hanc etiam concluſionem nobis proponunt.

Sed facilè in deterius mutatur.

Vnius illud imperium facilius in deterius conuerti, quàm cæteras imperiorum formas: & corruptum cæteris corruptis deterius ac damnoſius eſſe: atque hoc tanto magis, cùm ſucceſſione defertur: quia raraenter admodum patri viro bono & prudenti filius ijſdem dotibus præditus ſuccedit.

Vt iure ambigas, quæ forma imperij exoptanda.

Itaque politici iſti, conſideratis omnibus iſtis adiunctis & periculis, peruellem planè declaraſſent, quæ forma potiſſimùm ciuitati cuipiam optanda foret, vnius ne imperium, an multitudinis, an paucorum?

Frequens

C I.

Frequens coràm principe præsentia aditum ad negotiorum tractationem præstat.

Qui in aula potentiorum viuit, operamque suam in grauioribus negotiis à principe requiri, illique probare expetit, vt continuo in illius conspectu versetur, curabit. Nam singulis penè momentis occasiones rerum gerendarum nascuntur, quas illi, qui primus suis oculis obuersatur, aut sibi propinquior est, committit: quod vtique haud fieret, si quærere eum aut expectare diutius oporteret: & qui principium licet exiguum, & quod leuis admodum momenti videtur, perdit, idem sæpissimè occasiones atque aditum ad res maximas, grauissimasq; perdit.

C I I.

Ministri dominos quandoque mutare possunt.

Dictum repeto: Domini ministros suos paruipendunt, & cuiusuis commodi aspectu, nullâ habitâ eorum ratione hûc illúc eos transferunt, (aut mutant.) Quare prudentes ii ministri sunt, qui paria patronis referunt, dum

dummodo fidei aut honestati contrarium nihil admittunt.

CIII.

Sui cuiq; fati devergium obseruandum.

Qui fortunam sibi fauere nouit, audentius tentare eam potest: planè sciendum est non pro varia tantum temporis ratione fortunam variè mutari: verùm etiam vno eodemque tempore pro rerum diuersitate, variam eam esse posse. Diligens enim rerum obseruator experientia docebitur: in vno rerum genere quosdam fortunatissimos esse, eosdem in alio prorsus infortunatos.

Autoris exemplo,

Et vt de me loquar, multis in rebus in tertium huncusque Februarij diem M. D. XXIII. prospera fortuna plurimis in rebus vsus sum, similes tamen successus non expertus in mercatura & honoribus quos ambio.

Cui gloria & honores Crocodilus.

Vltrò enim & meo quodam quasi fato se mihi offerunt, cùm eos non ambio: at confestim vt eos persequor, recedere à me & quasi me auersari videntur.

CIV.

Sua cuiq; cupiditas hostis.

Quisque sibi acerrimus hostis est. Pleraque quippe mala, pericula, molestiæ & labores non necessarij, quibus implicatur, à nimia illius cupiditate, non aliundè, promanant.

CV.

Mutationes rerum omnium opinione nostrâ lentiores sunt.

Omnia quæ in hoc mundo, minimè fixa aut immota consistunt: quin semper eò progrediuntur, quò ex naturâ suâ peruenire, & vbi finiri ea oportet: quod tamē tardius lentiusque opinione nostrâ sæpè contingit. Nos enim ex vitæ nostræ curriculo admodū breui eas æstimamus, non ex termino illis à naturâ suâ præscripto, qui nostro illo multò longior est.

Et sæpe à nobis non animaduersæ.

Quare & eorum progressus & curricula nostris multò lentiora sunt, & ex suâ naturâ adeò lenta, vt sæpius de eorum motu, vt maximè se moueant, nobis non innotescat: atque

que inde fit, vt nostris de ijs iudiciis vt plurimum fallamur.

Consilia nostra fallunt.

CVI.

Diuitiarum cupiditas ex fine laudem vel reprehensionem meretur.

Diuitiarum cupiditas ab animo abiecto vitiisque obnoxio nascitur, si fruendi tantum non præstantioris cuiusdam finis causa expetũtur. Sed vt nunc hominum corruptissimi mores sunt, qui honorem autoritatemque desiderat, diuitias quoque expetere cogitur. Virtutes enim diuitiis coniunctæ illustriores sunt, & maximi fiunt: contrà verò si egenus aliquis iis ornatus sit, paruipenduntur, imò plerunque in obscuro latent.

CVII.

Fortunatissimi, quibus secunda vice fortuna fauet.

Dubito, an fortunatos iure appellem eos, quibus semel tantum occasio præclaræ rei offertur: nam qui prudens non sit, arripere eam aut commodè ea vti nequit. Sine dubio autem fortunatissimi censendi sunt, quibus insignis præclarissimæ rei occasio dua-

bus vicibus offertur. Nemo enim adeò stolidus & imprudens est, quin secundâ vice vti eâ norit. Atque ita posteriore hoc casu soli fortunæ cōmoda sua accepta ferre tenetur, eiq́ue obligatur, cũ priore illo etiam prudentiæ locus sit, & sua illi laus debeatur.

CVIII.

Libertas à rebus publicis iustitiæ causa expetitur.

Libertas Rerumpublicarum iustitiæ administra est. Neque enim alij fini Respublicæ eam fundamentum sibi suum constituũt, quàm defensionis causa, nevè alij ab aliis opprimantur.

Quare hæc, non illa omnium imperiorum summum fundamentum, & neruus præcipuus.

Itaque si cui cautum esset, in vnius aut optimatum statu iustitiam obseruatam, & ius omnibus ex æquo redditum iri, nullam libertatis desiderandæ is causam haberet. Atq; hac de causa veteres prudentes & Philosophi, eas imperiorum formas, in quibus in libertate viuitur, non magis cæteris laudarunt, sed eas, in quibus conseruationi legum & iustitiæ plenius cautum prospectumq́ue fuerat.

C I X.

Rumores verisimiles inexpectati, non sperati.

Cùm rumor rerum nouarum ab incerto autore est, & nostræ etiam spei aut voto respondet, vix ei fidem adhibendam censeo. Facilè enim ea finguntur, quæ expectantur aut creduntur. Potiorem apud me fidem merentur noua minus grata, seu extra vagantia (vt ita dicam) nec expectata. Neque enim ita facile est ea fingere aut persuadere, de quibus non antè cogitatum sit, aut quorum multitudo rationem magnam non habeat. Cuius sanè Hypomnesis experientiam crebram testem laudo.

C X.

Cupiditas prænoscendi futura Astrologos aliis mendacibus feliciores efficit.

Fortunati maximè astrologi, quòd, licet eorum professio vanissima sit, seu artis vitio, seu suâ ipsorum ignorantia: maior tamen fides, ex vnica aliquâ prædictione, cui euentus respondet, ijs accedat, quàm non decedat ex centum falsitatibus: cōtrà quam aliis contingere videmus, quibus ob vni-

cum aliquod mendacium, ex probratum iis à viro quodam honeſto, derogatur fides penes omnes, vt cuncti ſuſpendant aſſenſum, etiam in cæteris rebus omnibus, quas veraciter loquuntur. Cauſa huius rei ab inſatiabili hominum deſiderio prænoſcendorum futurorum, quorum cùm nullam aliam certitudinem habeant, facile credunt iis, qui eorum prædictionem ab arte ſua pollicentur, ſicut & ægrotus facilè medico credit, qui ſanitatis ei ſpem facit.

C X I.

Vt gloriæ ita culpæ immerentes quoque ſæpè participes fiunt.

Modis omnibus operam dato, ne cuiquam interſis negotio, quod malè geritur, aut cum iactura eorum quorum ea res eſt. Nam vt ſine culpa tua damnum id contingat: ſemper tamen tibi quoque id adſcribetur, nec per omnia compita, aut in omnibus circulis purgationem tuam inſtituere poteris: quemadmodum etiam ille, qui victoriæ, aliiſve rebus benè geſtis interfuit, ſemper laudem aliquam inde reportat: licet nulla ipſius ea in re virtus, nullum meritum extiterit.

Poſſeßio-

CXII.

Possessionis commodum in causa Imperiorum maximum, quod non tàm facilè vt in priuatis rebus auferri possit.

Constat omnibus magnum esse possessionis antiquioris commodum etiam in bonis priuatis: quanquam in his partium iura immutabilia sunt, & iudiciorum ordo, & modi dominij, rerumque suarum recuperandarū ordinarij existunt, nec tàm facilè mutantur, aut tolluntur. Sed commodum istud & προτέρημα infinitè maius est in ijs rebus, quæ ab accidentibus imperiorum, aut voluntate imperantium dependent. Nam cùm illîc minimè decertādum sit rationibus immutabilibus, aut iudicijs stabilibus, & quæ semper eodem modo se habent, infiniti casus quotidiè nascuntur, qui facilimè te defendant, & tueantur contra impetum illius, qui possessione te eiicere prætendit.

CXIII.

Superiorum amor obsequio & reuerentia conciliatur.

Qui à superioribus amari vult, reueren-

tia ac honore proſequatur eos oportet: eaque in re prodigum magis, quàm parcum ſe demonſtret.

Sicut ijdem contemptus ſuſpicione offenduntur.

Nulla enim res ſuperioris animum tàm valide offendit, quàm ſi opinio honoris parcius illi habiti, & reuerentiæ leuius, quam mereatur & par ſit, exhibitæ, animo illius imptimatur.

CXIIII.

Libertatis recens recuperatæ firmandæ ratio.

Crudele Syracuſanorum decretum fuit, cuius Liuius mentionem facit (quo cautum erat) vt ipſæ etiam fœminæ ex tyrannorum progenie ſuperſtites occidantur: non tamen prorſus ratione caruit. Quia ſublato tyranno, ij qui imperium illius amabant, alium quendam eius loco vel ex cerâ fingerent, ſi poſſent: & cùm autoritas homini nouo difficulter tribui aut maieſtas imperij in eum deriuari poſſit, ad quaſuis tyranni reliquias confugiunt, iiſque potentiæ eorum augendę cauſa ſe adiungunt. Quare ciuitas tyrannide nouiter liberata, nunquã libertate ſecurè fruetur, niſi extinguat omnem ſtirpem pro-

progeniemque tyrannorum, quod vtiq; de masculini non fœminini sexus personis intelligo.

CXV.

Sua cuiq; fortuna virtutis & prudentiæ campus.

Non est in cuiusquam potestate, vt vitæ genus, & negotia gerenda ex animi sui voluntate eligat: quin ea sæpè tractanda sunt, quæ sua cuique sors offert, & quæ natalibus ordiniq; eius conformia sunt: quare omnis laus in hoc consistit, vt quisque (Spartam, quam nactus est, ornet, &) partibus suis probè fungatur: sicut in Comœdia non minorem laudem meretur, qui personam serui probè decenterque agit, quam qui regiâ purpurâ tectus est, aliamue personam in summo honoris gradu constitutam repræsentat. Ita singuli in suo ordine seu vitæ genere honorem acquirere, laudemque mereri possunt.

CXVI.

Errores hominum diuersi.

Quilibet mortalium erroribus obnoxius est, ex quibus maius minusue damnum nascitur, pro accidentium, casuumque, qui inde consequuntur, diuersitate.

Qui, si in leuioribus contingant, fortunæ gratiæ agendæ.

Sed fortunam propitiam ij habent, quos in rebus leuioribus. ac ex quibus minus incommodi, minus confusionis oritur, impingere errareque contingit.

CXVII.

Iniuriam præuenire licet.

Summæ felicitatis est ita viuere, vt nec inferas, nec patiaris iniuriam: at si in eum locum redigaris, vt necessariò vel inferenda vel patienda ea tibi sit, partes potiores, & tibi vtiliores, me quidem autore, arripies. Nec enim minus iusta defensio est, quæ vitandæ iniuriæ causa fit, & ne offendaris, quam quæ post eam iam acceptam.

Sed hactenus, ne colore isto aliis vltrò inferas.

Illud omninò obseruandum, vt probè casus occurrentes distinguantur: ne vel timore vano, & sine iustâ causa necessitatem præueniendi imponi tibi significes: neúe etiam per cupiditatem aut malitiam, cùm nec suspicaris de iniuria, nec suspicionis causam vllam habes, violentiam quam alijs infers, colore isto metus, excusare aut defendere coneris.

Æqua-

CXVIII.

Æquanimitatis & impetus æqua laus, si quodq; suo tempore vsurpatur.

Æquanimitas (cunctationi coniuncta) & impetus (seu vigor animi celeritatem comitem habens) magnis perficiendis idonea instrumenta sunt, alterum enim horũ (vim suã exerit, atque operatur,) vrgẽdo atq; impellendo homines, & quasi violenter res quæ aguntur (in commoda sua) cogendo: alterum verò defatigando, atterendo, & sensim tractuque temporis, ac pro datis occasionibus res hominesque vincendo. Itaq; quâ re alterum nocet, eâdem alterum prodest, & è cõuerso: & qui vtrumq; horum inter se iungere, & suum quodque loco ac tempore vsurpare sciat, diuinis vtique habetur.

Illa tamen tutior ad magna perficienda.

Quod quia non difficile solùm, verùm etiam propemodũ impossibile est, ego omnibus cõputatis sic existimo, æquanimitatem & moderationem laudabilem esse in principe, ac per eam longè maiora & magis ardua obtineri ac perfici, quàm impetu aut præcipitatione.

Con-

CXIX.

Consilio non impetu gerenda omnia, ab homine.

Vt maximè homines res gerendas optimé deliberent: sæpè tamen pessimè eæ cadunt, adeò incerta futura omnia sunt. Nec tamen ea propter belluarum more fortunæ arbitrio nos permittemus, eiuè in prædam nos exponemus, sed vt decet homines, rationem ducẽ(in omni negotio)sequemur.

Cui sat erit, culpa caruisse.

Et sanè sat erit prudentiorẽ consultò prudenterque susceptam à se esse, vtut successus aduersus fuerit: quin animo eius hoc potius satisfaciet, quàm si consilio aliquo stolido successus prosperos obtinuisset.

CXX.

Summum rei familiaris monitum, in sumptibus necessariis iisque commodè faciendis consistit.

In Oeconomicis princeps præceptum est: Resecare sumptus superfluos. Industria tamen boni patrisfamiliâs, & administrandæ rei familiaris solertia in hoc potissimũ consistere mihi videtur: vt necessarios etiã hos sumptus, dextrè, & cum maiori, quâ poterit,

com-

commoditate faciat: cùm vt in vulgari Italorum proverbio est, solidum pro quatuor quattrinis expendere oporteat.

CXXI.

Lucri aspectu, rebus tuis nondum firmatis lautiorem esse, prudentis non est.

Illud mente tenendum, licet ille, qui lucrum facit, modi cum aliquid amplius erogare possit, quàm si nihil lucraretur: meram tamen stultitiam esse, contemplatione lucrorum largius sumptum facere, latiusúe impendere, nisi primùm sortem amplissimã conquisiueris, & quidem talem, quæ sumptus illos facilè patiatur. Lucri enim occasio non semper durat, & si durante eâ rebus tuis non prospicis, easque in tutum redigis preteritâ eâ, in paupertate non minùs, quàm prius viues, facta simul temporis existimationisque iactura. Ille enim exigui iudicij prudentiæúe homo habetur, qui commodam occasionem oblatam sibi neglexit, nec ea probè vti nouit. Quod sanè monitum mente diligenter tenendum moneo: cùm plurimos ea in re errores meo tempore viderim.

CXXII.

Frugalitatis laus.

Pater-

Pater quidam dicebat: maiorem honorem aut existimationem conciliari tibi ex ducato vno in marsupio, (seu cuius etiamnum dominus es) quàm ex decem, quos expenderis. *Eiusq; descriptio.*

Verba notatu dignissima, non vt sordidus fias, aut si quo loco existimatio æquitasque requirunt, sumptibus parcas: sed fræno hoc contrà inanes superfluosq; sumptus vtaris.

CXXIII.

Instrumentorum falsitas qua cautione vitanda.

Rarissimè mox à principio committitur in instrumentis falsum. sed postquã ea iam confecta sunt, prout homines malè acuti, vel fraudes mente agitant, vel res tractando, quibus capitibus clausulisve opus habeant, animadvertunt, eas res instrumenta loqui procurant, quas loqui ea maximè desiderant. Itaque cum de arduis tuis negotijs instrumenta fiunt, hunc observato morē, vt ea in mundum redacta à tabulario confestim auferas, domiq; tuæ formam eorum authenticam asserues.

CXXIIII.

Populo vniuersim præstita beneficia leuius afficiunt.

Certiſſimnm eſt, officia vniuerſo populo præſtita non tanti fieri, quanti ea, quæ priuatis ſeorſim præſtantur. Quia cum ea publicam omnium ſalutem reſpiciant, nullus eorum ſe directò ſpectari, aut ſibi operam datam eſſe exiſtimat. Itaque qui populi aut vniuerſitatis cauſa labores ſuſcipit, paria ab ipſis ne ſperet, aut ſibi de eorum operâ in ſuis negotijs periculiſve certum quid promittat: nedum vt memoria acceptorum beneficiorum commoda ſua ij prætermittant.

Suo tamen fructu non carent.

A beneficijs tamen populo præſtandis nolim adeò alienus ſis: vt occaſionem eam oblatam prorſus negligas. Inde enim & famam beneficij mereris, & animos eorum tibi concilias, vt de te optimè ſperent, ac ſentiant, qui ſanè fructus laboris tui ſatis magnus eſt: præterquam quòd illa beneficiorum acceptorum memoria quandoque tibi vſui ſit, eumque qui beneficio à te affectus eſt, ad gratitudinem permoueat, ſi non ita vehementer, vt beneficia propria ſolent, ſaltem quadantenus. Et ſanè tam multi ſunt, ad quos leuis iſta impreſſio pertingit, & qui vel leuiter ſe tibi obligatos perſuaſum habent, vt quandoque maximè inſignem & illuſtrē

grati-

gratitudinem experiaris, si singulorum erga te voluntates gratas, & officia quamuis leuia coniungas.

CXXV.

Virtutis simulati cultores commodum spectant.

Non semper fructus honestæ atq; laudatæ actionis apparet Itaq; qui virtutem non propter se solam (τοῦ καλοῦ ἕνεκα) sequitur, cùm nullam se vtilitatem ex ea perceptu-rum suspicatur, eam deserit Sed non levis hic hominum error est.

Cuius, si non alius, gloria tum semper fructus est.

Recta enim & laudabilia facere, vt maximè altum fructum haud ferret: famam tamen honestam autori suo parit, & bonam in aliorum animis de illo opinionem excitat, ex quâ postmodum multis casibus & temporibus vtilitas incredibilis nascitur atq; promanat.

CXXVI.

Obsessos vrgere, & subsidiorum spacium illis eripere, disciplina militaris iubet.

Cui præcipua loci alicuius oppugnandi

aut obſidione cingendi cura incumbit, is minimum innitatur, aut ſibi polliceatur de ijs remedijs, quæ protrahunt atq; prolongant rem: maximi autem faciat omnia illa, quæ tempus vel minimum inimicis præripiunt: quia vel vnicus dies aliquis, imo vel hora ſaltem vnica, cuius beneficio ex mora illa obſeſſi fruuntur, varios caſus ferre poteſt, quibus obſidio ſolvatur, & locus obſeſſus à periculo liberetur.

CXXVII.

Prudentiſſimi cuiusq; iudicia de futuris fallere poſſunt.

Si quis de incidenti aliquo caſu iudicium prudentis cuiuſpiam requirat, & quæ is conſecutura ex eo cenſeat, exactè deſcribi curet, deſcriptum relegat, & cum euentibus temporis progreſſu conſecutis, conferat: non multò plura εὐστόχως dicta & euentibus confirmata reperiet, quàm in Aſtrologorum iudicijs verè dicta plærunque ad calcem anni reperiuntur. Quia res iſtæ mundanæ nimiùm variæ & incertæ exiſtunt.

CXXVIII.

Cognitio particularium ad ſolidum iudicium contraria.

In rebus maximi momenti nemo rectè iudicauerit, cui non exactè munitissima quæque earum, particularia vocant, nota sunt. Sæpiùs enim vnica circumstantia eaq́ue minima vniuersum casum seu thema propositum variat atque commutat.

Eos, qui tardiori ingenio sunt, confundit potiùs, quàm iuuat.

Planè affirmo, qui generalium tantummodo cognitione habita ineptè iudicat, eundem intellectis particularibus longè deterius iudicaturum. Nisi enim quis solertissimo perfectissimoque iudicio sit, eoq́; ab affectibus omnib· liberrimo, particularia multa intelligens, facilè seipsum confundit, & in incerto ambiguus variusq́ue hæret.

CXXIX.

Quibus rumoribus consilia accommodanda prudenter videndum.

Qui ad primos rumores nunciosve quid statuit, sępius hallucinatur. semper enim vehementiores magisque terribiles feruntur, quàm postea in effectu reperiantur. Quare nisi summa vrgeat, statuendi necessitas, secundi, quiq́ue hos ordine consequuntur, expectandi sunt.

Vn

CXXX.

Vis religionis.

Nunquam religionem oppugnaueris, neve ea, quæ immediatè à Deo dependere videntur. magnam enim vim in animis hominum religionis causa habet.

CXXXI.

Virtutis amor naturalis.

Si audias, legasve quempiam sine vllius lucri vtilitatisve aspectu in vitium, quàm virtute proniorem esse, iure illum bestiam, non hominem appellaueris. caret enim naturali appetitu.

CXXXII.

Multi solitariam vitam fuco quodam prædicant.

Ne facilè ijs credito, qui se quietis amantes, & ambitione negotijsq; fessos, horumq; satietate captos prædicant: quia vtque plurimùm animo contrarium agitant, vitamq; solitariam & quietam colere cœperunt, aut indignatione tædiove molestiarum, aut necessitate, aut animi morbo permoti. Exempla quotidiè obuia sunt.

Qui ingenio verè turbulento.

His enim talibus vt primum minimum

ſpiraculum potentiæ aperitur, deſerent quietem illam adeò à ſe laudatam, ſummoque cum periculo & quaſi incendio rerum omnium publicis rebus ſe immiſcebunt.

CXXXIII.

Popularem benevolentiam fortunæ ſuæ fundamentum ſtatuere extremæ imprudentiæ eſt.

Inclinationes ac deliberationes populi fallaces ſunt, & quàm ſæpiſſimè à caſu potius, quàm ratione reguntur: in tantum, vt qui vniuerſam vitæ fortunæq́; ſuæ rationem nulli alij rei accommodat, quàm ſpei inani, potentiæ, autoritatisq́; penes populum obtinendæ, exiguo iudicio præditus ſit: quia ſi meliora ei, quàm vulgo ſolent, contingant, caſui id potiùs, quàm prudentiæ aſſcribendum.

CXXXIIII.

Suffragiorum conciliandorum ratio.

Fauorem & ſuffragia aliorum facilè obtinebis, ſi ijs, quos fautores optas, perſuaſeris, effecturum te illos participes autoresq́; illius rei, in quâ fauorem & ſuffragia illorũ requiris. Maxima quippè hominum pars eâ vanitate vel ambitione capti ita afficiuntur:

tur:

tur: vt obliti rationes contrarias, etiam longè probabiliores, magisque vrgentes incipiant fauere illi, cui, absque hoc fuisset, nunquam suffragaturi fuissent.

CXXXV.

Absurdissima quæq; in quorundam ingenia cadunt.

Infinitæ sunt varietates ingeniorum & cogitationum humanarum. Itaq; nihil tàm absurdum, tàm alienum à ratione fingi potest, quod non ingenio, si non huius, at illius conforme sit.

Ideóq; incredibilia censenda non sunt.

Quapropter cùm ea alterius dicta aut facta recitari audis, quæ aut à vero aliena tibi videntur, aut etiam talia, quæ in hominis mentem cadere non possint, recitanti ea nō obloquendum, neúe cachinnis excipiendus temerè is erit. Quod enim ingenio tuo non quadrat: potest tamen, vt alij cuipiam id placeat, & rationi consentaneum ab eo censeatur.

CXXXVI.

Etiam de præteritis ob ingenij nostri caliginem non semper rectè iudicamus.

Re quapiam facta gestave, si sciri posset, qui secuti fuissent euentus, quæve consecuta accidentia, si infecta ea foret, aut si contrarium illius contigisset, vtique sine omni dubio constaret, multa ab hominibus laudari, quæ non laudem, sed laudi potiùs contrariam reprehensionem mereri dignoscerentur.

CXXXVII.

Rationi & prudentiæ non minus, quàm priuati Principes parent.

Licet (ijs, qui minus exactè iudicant) videatur, Principes cæteris priuatis liberiores esse, eosque solos, sui ipsorum animi moderatores & arbitros, ex proprio magis animo, illiusque sententiâ, quæcunque gerunt, facere posse: (falsa tamen opinio ista) in Principibus, qui prudènter se gerunt, minimè admitti potest. Coguntur enim ij in negotijs suis cautissimè procedere, infinita considerando, plurima prospiciendo, innumera perpendendo: in tantum, vt non raró suarum designationum & consiliorum dudum mente agitatorum, appetitus item sui, aliorumque affectuum rationem nullam habere: sed in ordinem ea cogere necessariò teneantur. Cuius equidem rei multa exempla obseruaui.

CXXXVIII.

Rationes consilio tuo contrariæ, haud rectius, quàm comparatione earum, quæ in eam sententiam te impulerunt, eneruantur.

Instituta quapiam deliberatione, quæ vtrinq; grauissimas rationes habet, sæpiùs cõtingit, vt licet diligenter omnibus perpensis, de negotio isto consultaueris: postquam tamen de eo statuisti, deteriorem semper partem elegisse te opineris. Ratio hæc est.

Quia finita deliberatione eæ tantummodò rationes menti tuæ se offerunt, quæ pro parte aduersa facere videbantur: eæq; sine contrariorum contentione & quasi æquilibrio consideratæ, multò grauiores maiorisq́ue ponderis esse videntur, quàm ante institutam finitamúe deliberationem videbantur. Remedium, vt à molestis hisce cogitationibus libereris, in hoc consistit, vt omnes rationes hinc inde ponderatas animo repetere coneris: quæ sanè rationum inter se comparatarum contrarietas & concursus animo tuo obuersans, sine omni difficultate efficiet, ne rationes, quæ solæ à te consideratæ pro certis, & in causâ propositâ melio-

melioribus habebantur, maioris ponderis momentiúe, quàm reuera ſunt, appareant.

CXXXIX.

Eorum, qui alios conſulunt, dura conditio, cuius periculum neceſſariò ſubeunt qui parùm prudentes.

Qui ſuopte ingenio prudens non eſt, ſine conſilijs aliorum rebus ſuis non rectè conſulet. Perículoſiſſimum tamen eſt conſilium ab alijs petere. Nam qui conſilium dat, multoties ſuum potiùs, quàm amici, à quo conſulitur, commodum reſpicit: quinimo vel quemuis leuiſſimum ſuæ commoditatis aſpectum maximis grauiſſimiſque illius rationibus præponis. Quare hoc caſu omninò opus eſt, vt in amicos fideles incidat: aliter periculum eſt, ne alios conſulendo damno mulctetur. At neminem prorſus conſulendo etiam peius cum eo agitur.

CXL.

Conſilia ſua principijs adhuc incertis accommodans ſæpiſſimè fallitur.

Sæpiſſimè errat, falliturque grauiſſimè ſpe conſilijsq; ſuis, qui iudicio ſeu coniecturæ de

ræ de futuro, adeoque adhuc incerto accidente quodam innixus, de alio quodam articulo, cui priorem illum velut fundamentum subiicit, deliberationem instituit, & certum quid cum animo suo statuit, veluti, cum secum ipso reputat, rem quampiam hoc vel illo modo casuram, eique ratiocinationi consilia sua accommodat, & has illasve partes, pro euentuum illorum varietate, & opinione de iis concepta, eligit. Nam ob incertitudinem rerum casuumq; humanorum, persæpe non hoc aut illo modo animo deliberantis præuiso res cadit, sed tertio vel quarto, de quo ille ne semel quidem cogitauit, imò quem vix imaginatione assequi potuisset.

CXLI.

Ruina Reipublicæ sua periodo obtingens non ciuitatis, sed ciuium eo tempore natorum infelicitas censenda est.

Infelicem eam ciuitatem non rectè dixerimus, quæ postquam multis seculis floruit, de gradu suo deiicitur. Hic enim omnium rerum humanarum finis est: nec infelicitas æstimanda est, subiectum esse legi omnibus communi. Verùm infelices ii ciues sunt, qui-

bus potius patria sua ruēte, quàm stante seu florente nasci contingit.

CXLII.

Mediæ sententiæ non rationum pondere, sed suffragantium praua dispositione plærumq́ʒ vincunt.

Cùm in deliberationibus nota contraria incidunt, media sentētia in medium à quopiam prolata penè ab omnibus probatur: nō quia mediæ sententiæ cæteris vt plurimùm deteriores non sint: sed quia contradicentes pro hac potiùs, quàm contrariâ suffragia ferunt: quin & reliqui ne vel displiceant aliis obnitendo, vel quia negotium non probè intelligunt, pedibus eunt in eam sententiam, quam minus dubiam esse opinantur.

CXLIII.

Astrologis vt fides derogari possit?

Astrologis, qui vniuersalia prognostica scribunt, autoritatem facilimè adimet Princeps, si edicat, vt iudiciis anni sequentis coniungatur, & cum iis denuò inprimatur iudicium seu prognosticum anni præteriti. Nam qui relecto præteriti anni iudicio reperient eos quàm paucissima rectè prædixisse, vtiq: nul-

nullam fidem ijs, quæ de futuro anno scribunt, adhibebunt. Sed cùm mendacia præteriti anni prognostica, fallacesq́ue prædictiones memoria hominum exciderunt, naturalis curiositas, qua omnes futura prænoscere expetimus, facile nos ad fidem illis præstandam inducit.

CXLIIII.

Priuati de Principum consiliis exactè iudicare non possunt.

Difficulter admodum priuati principum actiones reprehendere aut laudare rectè possunt: non solùm ideò, quia non exactè sciunt, qui rerum status, qui Principum fines sint, quid eorum intersit: verùm etiam ideò, quia cùm longè differant rationes principum à rationibus priuatorum, nec eadem vtrisque conducant, efficitur: vt, licet status finesq́ue rerum, & quæ spectantur emolumenta, non minus his, quàm illis cognita essent: censuræ tamen vtrorumque sint diuersissimæ, negotia item trutinâ diuersissimâ examinentur, & iudicio quàm longissime differente iudicentur, & deniq; hic hoc: ille alio modulo ea metiatur.

CXLV.

Imprudentia quorundam fidos amicos vanis pollicitatoribus longè postponit.

Si quis amico operam ſuam requirenti difficultates negotij obtinendi explicat, vtut eæ veræ ſint, de operâ quoq; ſuâ illi promittat, etiamq́ue præſtare paratus ſit, non rarò tamẽ hac ratione fit, vt alter de voluntate eius erga ſe dubitare incipiat, quaſi operam ſibi præſtare nolit. Contrarium euenit, cùm quis ſpe ampliſſimâ amicos alit, iisq́ue negotij facilitatem promittit. Hic enim eorũ animos arctiùs ſibi conciliat, vtut promiſſis facta non ſuppetant, nec euentus reſpondeat Ita accidit, vt, qui cautè & circumſpectè in huiuſmodi caſibus ſe gerit, longè gratior ſit, magisque commodis ſuis proſpiciat, quàm illi, qui nulla circuitione vſi rem loquuntur. Neq; hoc alia de cauſa contingit, quam quia maxima hominum pars imprudentes ſunt, &in iis rebus, quas impenſiùs deſiderant, quàm facillimè decipiuntur.

Sen-

SENTENTIAE SELECTIO-RES.

EX HISTORIA Italicâ Dn. Francisci Guicciardini Florentini descriptæ.

X 3 LECTO-



LECTORI CANDI-do S.



N TIBI LECTOR candide ſententias, ex Dom. Franciſci Guicciardini hiſtoriarũ libris deſcriptas, quas Hypomneſibus ſuperioribus ob argumenti ſimilitudinem ſubiungere placuit: & quia illæ ſeorſim impreſſæ vix libelli formam habituræ videbantur. Vtraſque verò rectiùs intelliges, ſi ipſum hiſtoriarum corpus perlegas, ex quibus hæ, vt dixi deſcriptæ, ſed deſcriptæ tantum. Nam hypotheſes omnes ad Theſes transferre, & ſalutaria monita ex hiſtoria vniuerſa elicere: actionum item omnium, conſiliorum & euentuum cauſas annotare: atque hæc ſingula inter ſe conferre, (quâ in re verus lectio-

nis

nis (historicæ fructus consistit) maioris vtique laboris est, ad quem hoc tempore nec animus, nec otium mihi fuit: nec tibi ipsi difficile id in reliquis præstare, si Authoris nostri vestigia hac in re sequaris.

Illud tamen è re tuâ fore duxi, sententias Authoris pluribus ab ipso verbis vt plurimum propositas, contrahere, & quasi breuicula earum ad oram adiicere: aut si eæ per se satis astrictæ, vno atque altero interdum verbo argumenta earum notare, quandoque etiam eandem sententiam aliis tantum verbis exprimere. Quæ ratio, notarum vicem, in locis obscurioribus, interdum supplebit, & meo iudicio, nec vtilitate nec voluptate caret. Ideoque eam tùm in hisce sententiis exscribendis, tùm in superioribus hypomnesibus à

nobis latinitate donatis, bono tuo ſecuti ſumus.

Cæterùm vt de interprete ſententiarum ipſarū tibi cōſtet, translationem Cælii ſecundi Curionis nos ſecutos eſſe noueris. Benè vale Lector Candide, ſtudiumque hoc noſtrum proba

IVSTVS





IVSTVS LIPSIVS IN NOTIS AD CAPVT nonum lib. 1. Politicor.

FRANCISCVS GVICCIARDInus, prudens perituſque ſcriptor, & qui tales lectores ſuos facit, liber eſt, & verax: ab affectibus immunis: ſi tamen ab odio, quod retegere mihi non ſemel videtur in Ducem Vrbinatem, Sententias bonas vtileſq; inſerit, ſed parùm aſtrictas, &c.



Ex libro primo.

I.

Pœnarum cauſæ.

MIſeri mortales nunc Dei irâ iuſtiſſimâ, nunc aliorum hominum impietate & ſceleribus vexari ſolent.

II.

Malè conſiderata principum conſilia & ipſis & populis pernicioſa.

Sæpè ſibi, ſemper autem populis pernicioſa ſunt malè conſiderata conſilia eorum, qui dominantur: cùm nihil aliud, quàm aut vanos errores, aut præſentes cupiditates ob oculos habentes fortunæ crebras mutationes non recordantur: poteſtatemque, ſibi ad communem ſalutem conceſſam, in aliorum perniciem conuertentes ſeipſi, ſiue prudentiâ deſtituti, ſiue nimia ambitione detenti, nouarum perturbationum autores conſtituunt.

III.

Humanarum mentium imbecillitas frequens errorum cauſa eſt etiam prudentibus.

Illud profectò verissimum est: Non semper homines sapientes videre perfectè aut iudicare. signa enim non rarò imbecillitatis humanæ mentis existant necesse est.

I V.

Leuissimam spem grauissimis damnis præferre prudentis non est.

Maxima ea res reprehensione digna est, quæ vllo tempore nulla, præterquàm leuissimæ vtilitatis, spe proposita, ex altera partè grauissima afferre damna potest.

V.

Primis iniuriis resistere maiestatem conseruat: patienter eas tolerare contemptum & seditionum causam parit.

Qui primas iniurias fuco tantum atque inanibus titulis honoratus, patienter tolerat, futurum vt reipsa ab omnibus contemnatur, viamque ad consilia magis periculosa patefaciat: Sin maturè sese opponat, pristinam maiestatem amplitudinemque sibi debitam facilè conseruat.

VI.

Causis sublatis effecta sæpius durant.

Non semper, causis sublatis, ea quæ ab illis sunt orta, primùm remouentur.

VII.

Desperati timiditas periculorum vim offuscat.

Sæpè accidit, vt consilia timore suscepta ei qui timet, inferiora periculo videantur.

VIII.

Remedia nimium acuta periculosa.

Perquam perniciosum est, fortiorem medicinam adhibere, quàm aut morbi natura, aut ægroti vires ferre possint.

IX.

Prædictiones, in aduersa fortuna, facilè fidem merentur.

Homines sæpenumerò præsentiũ incerti, certã futuri sibi arrogant scientiam: quorum inauspicatæ prædictiones in secundis rebus parum creditæ, vbi fortuna reflare incipit,

cipit, ac tristiorem vultum ostendere nimium faciles inveniunt approbatores.

X.

Desperatio temeritatis mater.

Sciendum, Non minus ad temeraria consilia timidum ex desperatione, quàm temerarium sua temeritate conuerti.

XI.

Incommoda, fœderum causa quandoq; ferenda.

Dicebat Petrus *Medices.*

Fidei conuenire quæ fundamentum præcipuum sit fœderum, vt quisque fœderatorum aliquid incommodi patienter ferret, ne alius in multo maiora incurreret detrimenta.

XII.

Fidei ruptæ summa turpitudo.

Nihil principe aut Republica indignius, quàm fidem datam non seruare.

XIII.

Victoriæ προτερήματα anteversio & diversio belli.

Alfonsus Ferdinandi Filius Neapolitanus Rex dictitare solitus: Anteuertendo ac diuer-

diuertendo victoriam ex bellis reportari solere.

XIIII.

Efficax asseueratio magni effectus.

Fieri vix potest, quin quod efficaciter asseueratur, ambiguos reddat animos etiam eorum, qui secùs credere constitutum habent.

X V.

Motus etiam exigui periculum.

In ciuitate partibus infectâ, omnis quantumuis exiguus motus, periculosissimus est.

X V I.

Initia expeditionum magnam vim habent, ad summam vniuersi belli.

Ex aduersis expeditionum initijs animus cum existimatione amittitur.

X V I I.

Salus publica aut necessitas Legi derogant.

Publicæ salutis ac necessitatis causa, à lege, quod & ipsa iura permittunt, paululum deflectendum est.

XVIII.

Rarò, qui exemplis iudicat, rectè collimat.

Est omninò periculosum, actiones exemplis moderari, nisi eædem rationes non in vniuersum, sed singulatim omnes concurrãt: deinde nisi eâdem prudentiâ gubernentur: & postremò, nisi præter cætera omnia, suas eadem fortuna partes agat.

XIX.

Fatum, cuius fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.

Communi sermone iactatur: homines, eorum appropinquantibus malis, prudentiã inprimis, cuius ope imminentes vitare calamitates potuissent, amittere.

XX.

Præterita futurorum speculum.

Ex præteritis facilè futura prouideri possunt.

XXI.

Fundamenta consilij minus firma spernenda.

Stultum admodum est, si quis se perpetuo exponat periculo, adiumentis minimè perpetuis innixus: speq; incertissima, cum hoste infinito potentiore, certum bellum suscipiat.

XXII.

In consilio capiendo imprudentium quàm prudentium durior est conditio, quod maius periculum subeant, minoremq́; ex bono consilio fructum ferant.

Nihil profectò magis necessarium in rebus arduis, quàm consilium petere: nihil rursum periculosius, quàm ex alterius pendere consilio. Nec cuiquam est dubium, alieno consilio minus egere prudentes, quàm imprudentes: & tamen fructum maiorem ex consilio capiendo sapientes percipiunt. Quis enim tantâ præditus est sapientiâ, qui per se omnia perspiciat & cognoscat, atque in contrarijs sententijs, quæ sit potior, dijudicare valeat? Verùm quis alium consulens certò scit, se fidele consilium adiuturum? Nam, qui dat consilium, ni valdè sit fidelis, aut benè erga eum, qui petat, affectus: non modò insigni vtilitate impulsus, verùm exiguo quouis proposito commodo, quauis leui cupiditate, sæpè consilium in eum dirigit finem, qui maximè sibi accommodatus esse videatur: cumque hi fines non raró ab eo, qui consilium capit, ignorentur: consilij infidelitatem, nisi prudens sit, non animaduertit.

XXIII.

Sæuire in primores regni mutationibus viam ſternit.

Regno repellere atque in vincula conijcere regulos, magnum validumque ad ſtatus mutationem inſtrumentum eſt.

XXIIII.

Regnum à fortuna, recta adminiſtrandi eius ratio à virtute eſt.

Regem eſſe à fortuna plerunque datur: verum eum regem eſſe, qui ſalutem ac felicitatem ſuorum ciuium, quaſi vnicum regnandi finem, rebus omnibus anteponat, id ab ipſo tantum atque à propria virtute proficiſcitur.

Ex libro ſecundo.

XXV.

Fatalis omnium Rerumpublicarum mutatio.

Non eſt ignominioſum præclaris ciuitatibus, ſi poſt multorum annorum curricula, tandem in ſeruitutem cadant: cùm ſit hoc fatale, vt omnia quæ orta ſunt, intereant, & aucta ſeneſcant atque mutentur.

Ad misericordiam potiùs, quàm seueritatem victores impellet.

Verùm nobilitatis & magnitudinis ipsarum memoria misericordiam potiùs in eorũ qui vicissent mentibus ingenerare debebãt, quàm acerbitatem asperitatemq́; augere: præsertim verò illud vnumquemque secum reputare decet, quod omnibus ciuitatibus & imperijs fato quondam euenturum est, idipsum quoque aliquando sibi accidere posse, imò necessariò futurum.

XXVI.

Sortem meliorem optare cuiq; licitum.

Omnibus meliorem sortem desiderare permissum est: verùm debet etiam vnusquisque, quod cuique dedit sors, patienter tolerare.

Sed sine alterius iniuria.

Alioqui, si cuiuis alterius imperio subiecto ad libertatem aspirare licitum sit, omnia dominatus atque imperiorum iura peruerti atque confundi necesse est.

XXVII.

Potentiam iustitiæ & fidei instrumentum esse oportet.

Quò

Quò quis potentia ac maieſtate maior eſt: eò ipſi glorioſius eſt, ad iuſtitiam & fidem conſeruandam potentiæ ſuæ amplitudinem explicare.

XXVIII.

Sacerdotes à ſanguinolentis conſilijs alieni ſint.

Sacerdoti fas non eſt ea conſilia capere, è quibus Chriſtianorum ſanguis fundendus eſſe videretur.

XXIX.

Popularis ſtatus vnius & optimatum imperio inferior.

Ab ijs, qui de Republica ſcripſerunt, popularis ſtatus minus laudatur, quàm is, in quo aut ad vnum Principem, aut ad optimates omnia referuntur.

XXX.

Æqualitas Reipublicæ fundamentum.

Æqualitas popularis Reipublicæ fundamentum maximè neceſſarium.

XXXI.

Popularis ſtatus fundamenta duo.

Reſpublica à populi poteſtate pendens, vt ordine & modo conſtituta ſit, duobus firmiſſimis

missimis fundamentis nitatur, oportet.

Primum, vt omnes magistratus & munera suis temporibus communi consilio eorũ, qui legibus ad Reipublicæ gubernacula aditum habent, decernantur: sine cuius consilij autoritate nouæ leges ferri non possint.

Alterum est, vt grauiores deliberationes, cuiusmodi sunt de bello & pace, de nouis legibus ponderandis atque explorandis, ac generatim omnia ad administrationem opportuna, à magistratibus ei muneri destinatis, atque ab consilio ex ciuibus peritissimis ac prudentissimis populi suffragijs selecto & conflato, tractentur.

XXXII.

Oligarchia tyrannide perniciosior.

Illud dicam, eum gubernandi modum, in quo pauci autoritate immoderatâ Rempublicam gerant, paucorum semper tyrannorum Rempub. fore: qui eò erunt vno tyranno perniciosiores, quò pernicies omnis capitalior ac nocentior est multiplicata, quàm sola.

XXXIII.

Vulgi iudicia raro recta.

Vt ab iudice rudi & imperito recta iudicia expectari nequeunt: ſic à multitudine confuſâ & imperitâ, conſilium ſententiaúe prudentiâ & ratione munitâ, niſi fortè caſu, ſperari nullo modo poteſt.

XXXIIII.

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Ea eſt hominum natura, vt vno extremo, in quo nolentes detenti fuerunt, declinato, in aliud extremum, medio præteruecto, ſine cunctatione volentes, decurrant.

XXXV.

Democratia Tyrannidi ſimilis.

Sic qui è Tyrannide ſunt elapſi, ſeſe, niſi retineantur, in effrænatam licentiam præcipitant: quæ quidem & ipſa iure Tyrannis poteſt appellari. nam & populus cum indignis dat, quod adimit dignis, cum gradus & merita ciuium confundit, tyranno eſt ſimilis: cuius tyrannis eò fortè pernicioſior eſt,* quò periculoſior ignorantia, quæ nec pondus, nec menſuram, nec legem habet, quàm malitia, quæ tamen ipſa aliqua regula, aliquo fræno, aliquo termino gubernatur.

** & ea fortè periculoſior.*

Con-

XXXVI.

Consilia salutaria contrà vitiosam ciuitatis consuetudinem parùm vtilia.

Vt corpori malè affecto, & noxijs humoribus redundanti, medicinæ non tantum prosunt, quantum euacuato & purgato: ita etiã inueterata consuetudine sæpenumero communi utilitati repugnante haud sanè multum prodesse ciuitati sana consilia possunt.

XXXVII.

Vulgi in sumptibus faciendis imperitia extrema.

Populus rerum grauiorum planè rudis & imperitus est, atq; vbi minus est opus, sæpenumerò profusus: vbi autem res ipsa largitatem poscit, vsq; adeò tenax, vt dum minimis parcere vult, in maximos sumptus, grauissimaque pericula incurrat.

XXXVIII.

Fortuna victoriæ anceps, ni prudentia & modestia firmetur.

Fortunæ proprium est, quotiescunque victoria moderatione ac prudentiâ munita

non eſt, inopinato aliquo caſu gloriam tanta molitione partam inquinare.

XXXIX.

Vulgi mobile ingenium.

Ea eſt vulgi natura, ad plus quàm par ſit ſperandum minusque quàm neceſſe ſit patiendum propenſa? rerum verò præſentium ſemper pertæſa.

X L.

Doctrinæ mores reſpondere difficile eſt.

Admodum difficile interdum eſt eam moderationem eaq; præcepta tenere & conſeruare, quæ alijs ipſe præſcripſeris.

X L I.

Aularum mos laudatus in ſubſignationibus priuilegiorum.

Vetuſtiſſimus aularum mos eſt, vt omnia priuilegia & publica monumenta perfecté conceſſa intelligi non poſſint, niſi regio ſigno obſignata, atque à libellorum magiſtris ſubſcripta, eique cuia interſit, tradita fuerint: idque in eum finem obſeruatur, vt ſi quid ab ore Principis, ſiue curis & negotijs occupati, ſiue parum de re & negotio fortè edocti cecidiſſet, corrigi poſſet.

Plærique

XLII.

Plæriq; insolentes timidi.

Ferè insolentia in secundis, cum timiditate in aduersis coniungi solet.

XLIII.

Occasiones pulcherrimæ à cognitione conditionum hostium pendent.

Cùm non semper hostium conditiones ostensionesque ducibus sint notæ, in bellis sæpenumerò pulcherrimæ occasiones amittuntur.

XLIIII.

Hosti abire volenti non resistendum.

Hosti abire volenti iter minimè intercludendum, sed potius, vt est in communi prouerbio, argenteum ei pontem faciendum esse existimant: alioqui verendum esse, * ne in desperationem conuersa necessitas, quod innumeris exemplis demonstrari potest, viam sibi cum multo sanguine eorum, qui se parum prudeter opponerent, aperiret.

* *ne desperatio iter ei expediat tuo incommodo.*

XLV.

Fortunæ magna in vniuersis rebus humanis: maior in bellicis: maxima in prælijs ipsis vis est.

Maxima est, vt omnes norunt, in rebus humanis omnibus fortunæ potestas: maior in bellicis rebus: sed incredibilis, immensa, infinita in ipso Martis conflictu: vbi si quid temerè factũ, si qua vox vel à gregario milite inaniter missa, ea victoriam ad eas transfert, qui iam victi videbãtur: vbi repetè casus innũerabiles accidũt, quos nec prospicere, nec gubernare consilio duces vllo modo possunt.

XLVI.

Iusta imperia cum populorum fauore: tyrannorum cum odio coniuncta.

Eius, quem vtut verum dominum agnoscunt, nomen apud omnes gratiosum est: tyranni verò odiosum atque inuisum.

XLVII.

Gloria fortißimus in Regum animis aculeus.

Nullus in fortiũ Regum pectorib aculeus, laudis & glorię cupiditate, acrior esse potest.

XLVIII.

Existimationis in bello vis maxima.

Ab autoritate atque existimatione ma-

gnam partem (quod ignorat nemo) bellorũ successus pendent: quæ vbi inclinat, simul etiam inclinat militum virtus: imminuitur populorum fides: deficiunt ad bellum sustinendum imposita tributa: & contrà hostibus animus crescit: dubij alienantur: in infinitum difficultates augentur.

XLIX.

Consilia ex re capienda, nec peruicaciter proposito inhærendum.

In omnibus humanis rebus, ac bellicis præsertim consilia ex necessitate capienda sunt: nec eius partis obtinendæ, quæ vel difficilimè fieri, vel fieri ne potest quidem, cupiditate omnia in extremum apertumq; discrimen adducenda: nec minus est boni Imperatoris sapienter, quàm fortiter agere.

L.

Fœdera inter plures contracta minùs firma.

Fœdera inter multos icta non ea firmitate & consensione animorum suâ naturâ sunt: quin sperari possit, quempiam aut remissiorem fore, aut ab alijs disiunctum iri.

L I.

Periculum magis necessarium, aut minus graue, ex pluribus eligendum est.

Sapien-

Sapientis eſt Principis, in difficilibus moleſtisq; conſilijs, eam partẽ pro facili optabiliq́ue ducere, quæ aut neceſſaria ſit, aut quæ difficultatis minus ac periculi habere videatur.

L I I.

Ad guſtum principum ſapere, ſapientiæ famam apud eos conciliat.

A Principibus illi facilè ſapientes habentur, qui ad eorum ſenſum & voluntatem magis accedunt ac loquuntur.

Ex libro tertio.

L I I I.

Contemptus Principis quæuis in eum audere ſuadet.

Dici vix poteſt, quantum homines auſint in eum Principem, qui ſe ipſe contemnendum præbeant.

L I I I I.

Illud commune humani generis vitiũ eſt, vt ſeruire externis malint, quã cedere ſuis.

L V.

Subita & dubia conſilia quibus conueniant.

Subita dubiaq́ue conſilia ijs conueniunt, quibus aut res difficiles aut aduerſæ ad modum obijciuntur: aut etiam ijs, qui ambitio-

ne, suiq; nominis illustrandi cupiditate impulsi, ne ad id tempus fortè desit, verentur: non ei Reipublicæ, quæ in sublimi potentiæ, dignitatis, autoritatis gradu collocata opportunitates temporum, occasionumque maturitates facilimè præstolari potest.

L V I.

Prudentiæ est, pericula supra quàm par est minimè timere.

Ad nimij timoris remedium cogitandum est, omnes humanas actiones multis periculis obnoxias esse: verùm homines prudentes cognoscere, nequaquã omnia mala semper euenire, quæ possint accidere: fortunæ beneficio plæraq; pericula euanescere: multa prudentiâ atq; industriâ vitari: idcircò timiditatem cum prudentiâ quod pleriq; rerum cùm nomina, tùm naturam ipsam parũ attendentes faciunt, confundenda non esse: nec ij sapientes ducẽdi, qui omnia pericula, quæ quidẽ dubia sunt, pro certis habentes, atq; ob id omnia formidantes, sua consilia sic gubernant, quasi omnia sint certò futura.

Quòd prudens omnis animosus sit.

Neq; enim vllo modo prudentes sapientesve illi habendi sunt, qui quæ futura sunt, supra quàm par est, timent: hoc nomẽ hanc-

que

q̃ue laudẽ multò melius fortibus magnoq; animo viris conuenire dicemus: qui pericula quidẽ cognoſcentes, eaq̃; ponderantes (in quo à temerarijs, qui ea nec cognoſcunt, nec ponderant, differunt) tamen, quàm ſæpe homines nunc caſu, nunc virtute è multis difficultatibus ſeſe explicant, animaduertunt.

Nec minus ſpem, quàm formidinem in conſilium accerſat.

Itaq; dum in deliberando non minus ſpẽ, quàm formidinem in conſiliũ accerſunt, nec incertos euentus pro certis habent, haud tã facilè atque illi, occaſiones quæ ſecum vtilitatem cum dignitate afferunt, reſpuunt.

L V I I.

Ad deſperata remedia, niſi neceſſitate cogente, minimè confugiendum.

Vt lẽtis morbis periculoſa remedia, quod tempus nequaquam ſibi eis vtendis defuturum homines arbitrentur; non ſtatim procurari ſolent: ita niſi nimium atrox offenſio ſit, aut perquàm propinquum periculum, ab æmulis tuis impendeat, ad ea remedia, quæ extremis ac deſperatis rebus adhiberi ſolẽt, præcipiti conſilio eſſe recurrendum, vano metu inductus ne credito.

LVIII.

Existimatio facilimè perditur, difficulter recuperatur.

Certum est, minimis momentis, imò vel quouis leuissimo rumore, maximarum rerum momenta verti, expeditionumq; existimationem amitti, quàm, vbi semel cœpit inclinare, quamuis post geras multò maiora ijs, quæ prius homines sibi de te promiserunt, erigere ac recuperare difficilimum est.

LIX.

Odium inueteratum difficulter tollitur.

In veteribus grauibusq; odijs firmam pacem constituere, quod ea vel suspicione vel vltionis cupiditate impediatur, difficile est.

Ex libro quarto.

LX.

Spes & cupiditas difficilia quæq; facilia fingunt.

Plærunque hominum proprium est, quod ratione difficile cognoscunt, id sibi cupiditate & spe facilè fingere.

LXI.

Periculum, quod virtutis prudētiæq; tuæ specimen coniunctū habet, potius eligendum.

Ex

Ex duob. periculis, id potius cui maior honor cõiunctus esset, quodq; ex nulla sua actione manaret, subire velle generosi animi est.

LXII.

Eadem in exequendis quæ in capiendis consilijs dexteritas requiritur.

Diligentia prudentiaq; consilia negligenter imprudenterq; exequuta, inutilia sunt.

LXIII.

Gloriæ, non vtilitatis tantum ratio in Rerumpub. consilijs habenda.

Rerumpublicarum deliberationes abiecta priuataq; consilia minimè poscunt, neq; omnia ad vtilitatem referri oportet, verùm ad excelsos magnanimosque fines, per quos illarum splendor augeatur, & dignitas conseruetur, quæ nulla re magis extinguitur, quàm si in hominum mentibus opinio gignatur, animum aut vires ad propulsandas iniurias deesse.

LXIIII.

Noua regna iustitiâ prudentiaq; firmanda.

Nouum non benè constitutum imperium, nec prudenter gubernatum, ei, qui id acquirit, potius graue est, quàm vt potentiorem eum reddat.

LXV.

Occasiones quæ raræ sunt, nimis curiosa sapientia prætermittendæ non sunt.

Raræ sunt atque fallaces magnæ occasiones: estq́ue prudentium & magnanimorum, cùm offeruntur, arripere, & econtrà, negligere summa reprehensione dignum, ac sæpè nimis curiosa sapientia, & futuri ponderatrix, vituperatur: quoniam res humanæ tot tamq́ue varijs casibus subijciuntur, vt rarò id eueniat, quod viri etiam sapientes existimarant:* & qui præsens bonum futuri periculi timore, cùm id nec certum, nec propinquum est, negligit, summo sępè dolore, & infamiæ notâ, eorum periculorum, quæ post vana fiunt, metu vtilitatis & gloriæ plenas occasiones amisisse reperitur.

* *Ne vano incertorum periculorum metu, gloriosa & vtilia amittantur.*

LXVI.

Iniuriarum atrocitas publico commodo cedat oportet.

Quò maiores iniuriæ sunt, quoque magis nos commouent: eò magis propriũ prudétiæ est, iustam indignationẽ iudicij maturitate, & vtilitatis ac publici cõmodi consideratione mo-

ne moderari: quoniã seipsum temperare, & proprias cupiditates vincere: quò pauciores sunt causæ, quibus hominũ indignatio & appetitus cõcitatur, tantò maiorẽ habet laudẽ.

LXVII.

Vltionem intempestiuam, maximo rerum suarũ discrimine, moliri impotentis animi est.

Vltionis desiderio res proprias in maximum discrimẽ conijcere, minimè prudentiũ est: neque dedecet, casus & occasiones, quas Respub. sperare potest, ad vlciscendũ expectare: imò admodum turpe est indignatione vinci: & in reb. ad imperia spectantib. summa infamia est, cùm imprudentiam dedecus comitatur.

LXVIII.

Indignationi, pericula coniuncta sunt coèrcenda.

Indignatione contra propriam vtilitatem ferri, leuitatis est: parua pericula maximis anteferre, imprudentiæ.

LXIX.

Odium & dominandi cupiditas periculosa.

Odium & dominandi cupiditas ad quãuis periculosam deliberationẽ vehementer impellunt.

LXX.

Ludicra à serijs (quàm maximè differunt.)

Galeatius Sanseuerinas Sfortianarum copiarum imperator, Alexandria à Gallis obsessa clàm diffugiens, quantũ generosum equũ tractare, aut in ludicris equitum certaminibus publicisq; spectaculis magnas hastas vibrare (quibus in reb cunctos Italos superabat) & exercitui preesse inter se differãt.

In eligendo Imperatore non gratia, sed virtus spectanda.

Et quanto cum proprio detrimento Principes, qui in ijs, quibus res grauissimæ committuntur, eligendis, magis gratiam, quàm virtutem intuentur & spectant, decipiantur, documento fuit.

Ex libro quinto.

LXXI.

Imperatoris virtutes.

In exercitûs Imperatore, etsi fides requiritur: autoritas tamen & rei militaris peritia pariter necessaria sunt.

LXXII.

Generis nobilitas autoritatem militumq; obedientiam gignit.

Ij qui nobiliore gente nati, maiorisq; existimationis sunt, exercitũ ad imperia promptiorem habere solent.

Prin-

LXXIII.

Principum ingenia.

Principes admodum cupidè dolores ac pretextus amplectuntur, quibus aliquâ honesti specie, quamuis plærunq; iniustè, aliorum regna vexare possint.

LXXIIII.

Vota vulgi plærumq; successu carent.

Quæ à multis optantur rarò euenire, res ipsa verissimum esse docet. nam quum humanarum actionum fines plærumq; ex paucorum pendeant voluntate, horumq; mens & fines ferè semper à multorum mentibus atque finibus diuersi sint, vix res secus quàm ex autorum ipsorum mente geri possunt.

LXXV.

Cupiditas, quæ voti compos fit, augetur.

Vt ignis, cui noua semper alimenta subministrantur, magis accenditur: sic illorum, quibus fortuna omnibus in rebus propitiam se exhibet, cupiditas immodica, infinitaque efficitur.

LXXVI.

Non verborum captionem, sed bonam fidem promissorumq; constantiam amplecti verè regium est.

Fæderis conditiones magis Iurisconsultorum, quàm regio more exponere, & ver-

borum interpretationem pro ſuorum conſiliorum varietate mutare à regiâ dignitate perquam alienum eſt.

LXXVII.

Vt ſponte concedere videaris, ad quæ coactum te iri metus eſt, prudenter curato.

Omnium cum beneuolentiâ & gratiâ tempeſtiuè id facere, quod ne tandem communi omnium odio, maiori periculo, & proprio detrimẽto facere cogaris metuas, prudẽtis eſt.

LXXVIII.

Bellum ſine victoriæ fructu imprudenter ſuſcipitur.

Magno incommodo cum ijs, qui quod amittant non habent, bellum geritur.

LXXIX.

Aleam fortunæ præſentem ſubire, quàm ad maiora eademq; certiora pericula ſe reſeruare glorioſius eſt.

Res ad ſecuritatem atque gloriam aptior eſt ſaltẽ æquâ ſpe fortunã experiri, quàm ea vitatâ, ſuisq; virib. paulatim attritis victoriã hoſti ſine ſanguine & periculo concedere.

Ex libro ſexto.

LXXX.

Nouæ plus terrent.

Nouæ lædendi rationes, quia nondũ defenſionum

fenſionum modi excogitati ſunt, magis terrent.

LXXXI.

Iuſtitiæ diuinæ ſceleratorum felicitate temporali, aut bonorum calamitatibus nihil decedit.

Alexandri VI. Pōtificis exemplum, ad illorum, qui humanorum oculorum imbecillitate diuinorum iudiciorū arcana ſe videre arbitrantes, quicquid mortalibus vel fauſti vel aduerſi accidit, ex benè maleuè factorum cauſis manare aiunt, arrogantiā retundendam potentiſſimū eſt: quaſi non quotidie multos bonos iniuſtè vexari, & cōtra plæroſque improbos ad non meritos honores euehi, cerneremus: quaſi ſecus interpretando de Dei iuſtitiâ potentiaué detraheretur, cuius amplitudo, breuib. ac præſentibus terminis minimè incluſa, alio tempore & loco, largâ manu, æternis præmiis atq; ſuppliciis iuſtos ab iniuſtis diſcernit.

LXXXII.

Vnum, quàm plures imperare regioni, magis è ſubditorum commodis.

Tolerabilius vtiq; regioni, vni tantū Principi eiq; potenti parêre, quàm ſingulas ciuitates proprium Principem habere, qui nec pro-

propter inopiã beneficiis afficere possit: quin potius, cùm se paruis vectigalibus, aliisue exiguis reditibus, quos habeat alere non possit, subditos opprimere cogatur.

LXXXIII.

Fama candoris ad decipiendum tuta via.

A nullo homines facilius decipiuntur quàm ab eo, qui decipere nunquam solitus fuit, vel huiusmodi nomen habuit.

LXXXIV.

Ministrorum virtus ad salutem regni necessaria.

Vt ad corpus tuendum non satis est, si caput sanum sit, sed & cætera membra munere suo fungi necesse est: sic non est satis Principem ipsum culpa vacare, nisi in ministris debita diligentia & virtus proportione respondeant.

LXXXV.

Mali boniq; imitatio.

Mali imitatio semper exemplum superat: quemadmodum contrà, boni imitatio semper est inferior.

Ex libro septimo.

LXXXVI.

Ciuiles dissensiones sæpè in seditionem desinunt.

Ciui-

Ciuiles discordiæ homines vlterius, quā primò constituissent, sæpè etiam ad defe-ctionem à fide Principis suo debita trahunt, cuius rei insigne, in defectione Genuensium à Ludouici XII. Gallorum Regis fide, exemplum est.

LXXXVII.

Plebis fex seditionum verum obiectum.

In seditiosis ciuitatibus administratio, contra multorum è populo honestiorum voluntatem, ferè tota in plebis fecem cadere plerunque solet.

LXXXVIII.

Prudentia cupiditatibus opprimitur.

In animis immoderatis cupiditatibus occæcatis prudentia à temeritate oppressa locum nullum habere potest.

LXXXIX.

Plebs insolens in prosperis, timida in aduersis.

Fex plebeiorum leui spe & vanis consiliis innixi, cùm periculū procul est, feroces sunt, sed mox periculo imminente animo fracti nullam moderationem retinent.

XC.

Regna suspicionibus, si quidquam aliud, obnoxia.

Nihil

Nihil natura ſuſpicionibus magis obnoxium eſt, quàm regna.

XCI.

Præſentia, nimium, futura pericula, lenius quàm par eſt, timentur.

Illud eſt communi hominum naturæ inſitũ, vt prius propinquiora pericula timeãt, & præſentia pluris, quàm decet, faciant: futurarum verò rerum atq; remótarum minorem habeant, quàm debent, rationem: quoniam ad ea multa remedia & caſibus & temporibus ſperari poſſunt.

XCII.

Non ex ſapientiæ regulis, ſed aduerſariorum ingenio de eorum conſiliis coniectura capienda.

Non omnes homines ſunt ſapientes, imò pauciſſimi ſunt, qui ſapiant. Et qui de alienis conſilijs conijcere vult, niſi falli velit: nõ tàm quid ſapientem facturum veriſimile ſit, quã quod ſit conſilium capientis, ingenium eiuſque natura cogitare debet. Idcircò qui, quid Galliæ Rex facturus ſit, iudicare velit: non tã quid prudentia ſuadeat, quàm Gallos leues & minimè quietos eſſe, magiſq; impetu, quã conſilio ferri conſueſſe conſiderabit, & magnorum Principum mores indagabit.

Digni-

XCIII.

Dignitatis æmulatio.

Dignitatis atq; imperiorum ęmulatio vel inter amicissimos gignere odium solent.

XCIV.

Fœdera inter pares cœpta, suspicionibus facilè ortis, plærumq; euanescunt.

Vbi plures Principes, qui se pares existimant, coniunguntur, facilè inter ipsos suspiciones controuersiæq́; existunt: ex quo sæpè fit, vt res magnâ spe cœptæ in multas difficultates incidant, ac tandem euanescant.

Ex libro octauo.

XCV.

Fulmen Pontificium diuinâ autoritate caret.

De fulmine Pontificio Dominicus Triuisanus Venetus dicebat: Non esse verisimile, Deum Optimum Maximum seueritatis & clementiæ, iræ atq; pacis suæ effectus, ambitiosissimi superbissimiq; hominis, vino multisq́; aliis turpibus voluptatibus obsequentis, qui ijs ad cupiditatũ suarum, nõ ad iustitiæ, Christianæué Reipublicæ commodi rationem vteretur, potestati velle permittere.

XCVI.

Quæ sine dedecore non mutantur, in his circumspectè versari ab initio oportet.

In

In omnibus publicis rebus principia diligenter consideranda sunt, quòd postea sine summo probro & periculo ab iam constitutis diuque retentis discedere in hominum potestate non sit.

XCVII.

Opponendo te aduersariis existimationem, cuius amissæ maximum damnum conseruabis.

Longè difficilius est ei, qui inclinare cœperit, ea quæ relinquuntur, vel à minimis periculis conseruare, quàm ei, qui dignitatem gradúmque suum tueri satagens, nullo cedendi iudicio dato, promptè se in eos, qui se opprimere conantur, conuertit.

XCVIII.

Bella communiter gesta magis terrent, quam nocent aduersario.

Bellorum, quæ à multis Principibus contrà vnum geruntur, terrorem periculo maiorem esse solere, citò primos impetus deferuere, citò sententiarum varietate inter eos exorta fidem debilitari constat.

XCIX.

Oppugnati conditio melior.

In prælijs, eius qui oppugnationem expectat, quã oppugnantis, melior conditio est.

Sol-

C.

Soluere subditos sacramenta, cum hostis superior sit, eorum voluntates tibi deuincit.

Populi sponte à superiore suo, qui hoste inferior est, sacramento soluti, non tàm inniti, secundâ fortunâ aliquando redeunte, sub pristinum imperium redeunt, ac si apertè rebellassent.

C I.

Vana hæc honorum, diuitiarum, &c. votis non respondent.

In rebus diu expetitis homines ferè nunquam, ijs adeptis, eam iucunditatem felicitatemque, quàm sibi prius proposuerant, inuenire solent.

C I I.

Hostis incommodis minus vigilantem effici belli ducem non decet.

Belli duces, in omni tempore & loco, ita vigilantes ac parati esse debent: vt proprijs viribus freti, nec longinquitate nec debilitate hostium se tutos esse putent.

C I I I.

Salus populi ad priuatorum quoque commoda pertingit.

Patriæ salus non modò publicum bonum

com-

comprehendit, ſed in Reipub. ſalute ſimul & priuatorum omnium commoda ſaluſq; agitur: quæ ita inter ſe apta connexaq; ſunt, vt alterum ſine altero ſtare non poſſit.

Ex libro nono.

C I V.

Auxiliarios tuos ne facilè hoſti concedito.

Maximi momenti eſt ea arma in te concitare, quibus antea terrorem cunctis iucuſſeris.

C V.

Aduerſis virtus concuſſa reſurgit.

Quod de Anteo fabularũ ſcriptores poſteris memoriæ prodiderũt, vt quoties Herculis robore domitus tellurem attigiſſet, toties maior in eo vis appareret: idem in magnanimo res aduerſas efficere oportet, vt quò magis deiectus ac proſtratus videatur: eò maiore animi firmitudine ac pertinacia reſurgat, virtutiſq; iter teneat.

C V I.

Exulum promiſſa non ſatis tuta.

Exulum cohortationes & ſpes ab illis factæ magis ad cupiditatis, quàm rationis normam exactæ, plærunq; euaneſcunt.

C V I I.

Euentu pleriq; conſilia metiuntur.

Eorum,

Eorum, qui res infeliciter gestas reprehendunt, autoritas fortasse minor sæpius esset, si eodem tempore, quid, siquidem secus actum fuisset, euenturum erat, sciri posset.

CVIII.

Pugna quando periclitanda?

Ego (aiebat Triuultius) illud maximorum Imperatorum firmamentũ perpetuum semper esse scio, quod & ipse vsu verum esse, cõperi: nunquam nisi vel magna rei benè gerendæ occasio inuitet, vel necessitas cogat, pugnã esse periclitãdam: & est præterea militaris disciplinæ, vt hostes, qui actores sunt, nos inuadere cogitẽt: non vt nos, quibus vim repellere satis est, contra omnes militares Leges, eas inuadere conemur.

CIX.

Bella gerere ac charta designare diuersa sunt.

Bella militum armis & ducum consilio geruntur, in acie pugnando, non figuris, quæ ab hominibus rei bellicæ imperitis in cartis notantur, vel digito seu virga in puluere describuntur.

CX.

Diuersionis securitas.

Diuersionis remedium in bellis valentissimum,

tissimum, quo ne vno quidem equo in periculum coniecto, hostes ab obsidione recedere cogas.

CXI.

Imperium exercitus tyronibus committere summo cum damno coniunctum.

Magno Principum detrimēto rerum bellicarum administratio, ex omnibus humanis actionibus inprimis ardua, ac perquàm difficilis, quaque nulla est, quæ maiorem prudentiam vsumque requirat: non veteranis ducibus, sed iuuenibus imperitis, iisq; quorum de virtute nulla res, præter gratiam, fidem facit, committitur.

CXII.

Remedia vitiorum Reipublicæ.

Omnia medicamenta suâ naturâ salutaria sunt: at nec suis proportionibus, nec idoneis temporibus exhibita, venena potiùs, quàm medicamenta censenda.

Ex libro decimo.

CXIII.

Defensionis autoritas, & iustitia.

Defensio est ex Lege naturæ, cūctis mortalibus communis, & summi Dei voluntate omniumque gentium consensu comprobata, vnà cum mundo orta & desitura: cui neque

que ciuiles, neque Pontificiæ Leges hominum voluntate nixæ, & cartis exaratæ derogare possunt, est enim hæc non ab hominibus facta Lex, sed ab ipsa natura in totius humani generis pectoribus atque animis inscripta, sculpta, infixa.

C X I V.

Tempestiuè eâ vtendum, & velut præueniendo.

In defensione, donec ad extremam necessitatem redigamur, minimè expectandū est, ad talem enim statum redactis, & ab hostibus septis ac penè oppressis sera essent remedia, sera auxilia, vbi venenum ad ipsa præcordia vsque penetrasset.

C X V.

Status popularis laus.

Omnium sapientū communis est sententia: Liberas ciuitates Deo summoperè placere: quod in iis magis, quā in alio Reipublicę genere commune bonum conseruetur: ciuium animi vehementius ad virtutē & laudem accendantur: religio colatur: sacra peragantur.

C X V I.

Medium esse nisi victoris potentiam contemnere possis inutile.

In aliorum bellis medium esse, ob idque multas molestias & sumptus euitare tunc laudari solet: cùm vires nō adeò sunt tenues, vt cuiusuis partis victoria sit metuenda. tunc enim securitatem, & sæpenumerò illorum defatigatio, imperij augēdi facultatē adfert.

Quia quos non iuuisti, læsos abs te se putant.

Neque neminem læsisse, nemini iustam querelarum causam dedisse, tutum fundamentum est. Raro enim & fortasse nunquam victoris insolentiam iustitia vel prudentes cogitationes cohibent: nec magni Principes, cùm, quod optant, illis denegatur, his rationibus minori se iniuriâ affectos existimant: imò illis omnibus, qui eorum voluntatem non fuerunt sequunti, cumque fortunâ eorū proprias fortunas non coniunxerunt, irasci solent.

CXVII.

Amicitiæ veteres, in eligendis partibus, nouis præferendæ sunt.

Cùm cui parti in bello adhærendum sit, disputatur: nemini dubium est, quin vetus amicitia, à qua si Respublica nullam remunerationem præmiumvé accepisset, saltem sæpius & defensa & cōseruata fuisset, potius sit sequenda, quàm nouæ experiundæ, quæ semper infidæ, semper suspectæ sunt.

Repre-

CXVIII.

Reprehendere aliorum vota, quàm rectè consulere facilius.

Aliorum consilia vel iure improbare facilius est, quàm ea afferre, quę approbatione digna sint.

CXIX.

Pontifices & Respublicæ in sumptibus tenaces.

Pontificibus ac Rebuspublicis moris est, bella cupidè suscipere: suscepta autem, cùm sumptus & molestiæ mox graues esse incipiant, nimis citò velle conficere.

Belli deliberationem Ducibus relinquere debebant.

Verùm deliberatio de rebus bellicis Ducibus relinquenda est, qui eundem quem ipsi animũ habent, sed belli peritiâ præstant.

CXX.

Victoria præcipuè viris militaribus spectanda.

Militares viri rumores ostentationesque non esse curandos iudicant: sed victoriam præcipuè semper spectandam, quæ autoritatem, gloriam & laudem mortalium secum trahit.

CXXI.

Acie vinci, extremum in re bellicâ malum.

In omnibus periculis ea potissimum vi-

tanda ſunt, ex quib. maiora mala ſequi poſſunt. Nulla autem offenſio aut pernicies in bellicis rebus maior eſt, quàm acie debellari.

Ex libro vndecimo.

CXXII.

Occaſio captanda.

Nihil occaſione ociùs elabitur.

Temeritas iudicij fugienda.

Nihil periculoſius eſt, quàm de aliorum arte iudicare.

A ſuſpicione immoderatâ cauendum.

Nihil immoderatâ ſuſpicione pernicioſius.

CXXIII.

Qui bis ab eodem decipitur, ſibi imputet.

Qui ſemel ab aliquo deceptus eidem iterum incautè fideret, eum nullam habere excuſationem, neque miſeratione dignum eſſe prudentes cenſent.

CXXIIII.

Vtilitatis aſpectus in Principum deliberationibus.

Principum proprium eſt, ſemper in ſuis deliberationibus vtilitatem odijs alijsq; cupiditatibus præferre.

CXXV.

Improuisa plus terrent.

Quantò euenta magis improuisa atque inexpectata sunt, tantò magis homines terrent ac perturbant.

Ex libro duodecimo.

CXXVI.

Virtute fortuna quandoq; in bellis potentior.

In bellis, vt exemplis omnium temporum edocemur, sæpè euenit, vt hominum virtus nimiâ fortunæ potentiâ opprimatur.

CXXVII.

Periculorum electio & auersio cauta.

Sapientis principis est, vt maius periculum vitetur, minus malum, tanquam bonũ & vtile amplecti: nec vnius periculi aut incommodi declinandi gratiâ, in aliud grauius ignominiosiusque incurrere.

CXXVIII.

Casui in deliberationibus nonnulla permittenda.

In incertis atque difficilibus deliberationibus altera pars cásus & fortunæ iudicio necessariò permittenda est. In grauibus enim causis difficilimum est res perfectè ponderare: & consilium, quod periculis prorsus careat, inuenire.

CXXIX.

Prodigalitatem Principum parsimoniæ vulgò præferunt.

Ob deprauatum hominum iudicium plerumq; accidit, vt in regibus magis profusio, quamuis ei rapacitas sit annexa, quàm parsimonia cum alieni abstinétiâ coniuncta, laudetur.

Ex libro decimo tertio.

CXXX.

Regionis, quæ pluribus paret, multæ & continuæ molestiæ.

Quum regio aliqua plures Principes habet, & in multos potentatus diuisa est, ob eorum, qui ei dominantur, varia studia cupiditatesque vix aliter fieri potest, quin continuis molestijs sit obnoxia.

CXXXI.

Pax conductis militibus honesta.

Externis militibus, in bellis, oppidorum direptionibus, regionumque prædæ atq; rapinis assuetis, nihil pace molestius est.

CXXXII.

In bellis minima quæq; magna.

Ex leuibus causis & euentis sæpè in bellis maximi momenti res immutantur.

CXXXIII.

Disciplinæ militaris retinendæ non vnus modus.

Facilè patet, sæpè non tam pecuniâ, quàm alijs causis, Imperatoris videlicet virtute, autoritateve: militum item ardore & pertinacia, &c. concordiam disciplinamque in exercitibus conseruari.

CXXXIIII.

Quæ nouitate terrent, vsu vilescunt.

Hominum naturæ insitum est, vt ea, quæ initio terrori fuerunt, indies sic paulatim minuantur, ac deleantur: vt, nisi noui casus, qui terrorem renouent, incidant, exiguo tempore terrere homines prorsus fore desinant.

CXXXV.

Hominum in speratis vanitas.

Mortalium animi facilè quod cupiunt, sibi persuadent.

CXXXVI.

Priuata publicis vulgo potiora.

In hominibus proprij commodi stimuli communis boni rationem longè superare solent.

CXXXVII.

Contentionum beneficio quandoq; externus aliquis præfertur contendentibus.

Sæpè in contentionibus accidere solet, vt qui se, vel eum cui ipse studet, excludi videt, omni ratione prohibitâ, potius ad aliquem externum assumendum præceps ruat, quàm vt ei, qui sententiæ suæ est aduersatus, cedat.

CXXXVIII.

Sacerdotum ambitio nimis ex ipsorum naturâ.

Facilè deprehendi potest, Sacerdotum ambitionem nullum maius, quàm ex seipsa, fomentum habere.

Ex libro decimo quarto.

CXXXIX

Nimia felicitas, infelicitas.

Quod vulgò dici solet, nimia felicitate homines maiorem hostem non habere, verissimum est. Ea enim illos effrænatos suiq; præfidentes, ad malum audaces, & proprij commodi nouis rebus turbandi cupidos facit.

CXL.

Præsentis mali vitandi causa, futura quamuis maiora interdum accersuntur.

Mortalium se à præsentibus malis liberandi tàm ardens studium est, vt quid in posterum sit futurum, non cogitent.

Æmu-

CXLI.

Æmulatio Ducum Principibus damnosa.

Sæpè accidit, vt inter Duces æmulatio Principum rebus perniciosa sit.

CXLII.

Apparatus bellici ab initio, casibus omnibus, quantum potest, accommodandi.

Sapientum Imperatorum est, quàm sæpè in bellis ex casuum varietate consilia sint immutanda, perpendendo, apparatus ab initio, quoad fieri potest, ad omnes casus consiliaque accommodare.

CXLIII.

Præda recens ad pugnam minus idoneos milites efficit.

Ob prioris diei prædam peditatum incompositum mouere difficilius est: quod milites raptis rebus conseruandis quam pugnæ intentiores fore verisimile sit.

CXLIIII.

Vrbium direptiones victoriam cruentam reddere possunt.

Callidissimus Imperator, quàm ciuitatum direptio exercitus perturbare soleat, cogitabit, & si milites ab vrbis alicuius direptione arcere difficile admodum fore existimet, eius expugnationem hostili exercitu

perquã propè posito, vel hoc nomine valdè periculosũm esse iudicabit.

CXLV.

Incommoda hostis incognita errores Ducum gignunt.

In bellis occasiones innumeræ, quia Ducibus non semper hostium errores & difficultates notæ sunt, amittuntur.

CXLVI.

Varia apud Principes rerum benè gerendarum obstacula.

Operæ pretium est attendere, quantum malignitas & imprudentia apud Principes possit: qui vel negligentiâ negotia non curant, vel imprudentiâ bona consilia à malis per se non dignoscunt.

CXLVII.

Sæpè nouissimæ res præcedentium memoriam delent.

CXLVIII.

Imprudentes ab euentu consilia æstimant.

Plærumque hoc facimus, vt consilia euentis ponderemus: & cui benè, quid processerit, multum illum prouidisse: cui secus, nihil sensisse dicamus. Sic fit, vt sæpenumerò quæ à consilio profecta sunt, fortunæ: & quæ à fortunâ, consilio tribuamus.

De po-

CXLIX.

De populo nihil certum sibi pollicere.

In populi auxilio, in rebus inopinatis ac periculosis, ob multitudinis naturam, firmum fundamentum iaci non potest.

CL.

Pugnæ alea ne vniuersa belli summa corrumpatur, subeunda est.

Maximo incommodo Martis fortunam experiri, quàm recusando belli vniuersam rationem prorsus euertere, potius est.

CLI.

Hostes fugientes cautè persequendi.

Victoriam certò partam, hostes importunè persequendo, amittere, vel sua temeritate aliorum temeritatis memoriam delere, non est ex disciplina militari.

Ex libro decimo quinto.

CLII.

Rempublicam, non priuatam rationem consulendo sequi decet.

Inutilis est & ciuis & Senator is, qui quauis de causâ ab eo, quod ipse Reipub. commodũ esse ducit, alijs suadendo remouetur.

CLIII.

Iusta impedimenta socium excusant.

Socius non voluntate, sed ingruentibus

impedimentis retardatus, alteri socio iustam conquerendi causam, vel honestum à fœdere discedendi colorem, non dat.

CLIIII.

Pax tuta & firma, ab infidâ & perniciosâ separatur.

Pax quidem, quum suspicionibus liberat, quum periculum non auget, quum quiescendi & sumptuum minuendorum facultatem adfert, expetenda sanctaque est: sed quum omnia parit contraria, sub insidioso pacis nomine perniciosum bellum latet, & salutaris medicaméti specie pestilens venenum.

CLV.

Imbibe dictum hoc aureum, qui sapis, Princeps.

Legati & oculi & aures regnorum sunt.

CLVI.

Temeritatis infamia magis vitanda Imperatori, quàm gloria victoriæ appetenda.

Prosper Columna dicebat Minimè sapientis Imperatoris esse populi vocibus moueri, vel milites suos in eos hostes ducere, quibus nulla alia præterquam defensionis suæ spes reliqua esset: semperque plus Ducibus temeritatis infamiam obfuisse, quàm victoriæ gloriam profuisse experientiâ se di-

dicisse:

dicisse: * propterea quòd in eius partem nemo veniret, tota & integra Imperatori tribueretur. rerum verò in prælijs feliciter gestarum laudem hominum saltem opinione cum multis communicari.

* *Quod hæc illi cum pluribus communis: illa solius Imperatoris censeatur.*

CLVII.

Discors concordia vana.

Difficilimum est, eâ concordiâ, cui discordia atque ambitio est permixta, ad optatum finem peruenire.

CLVIII.

Consilia armis potiora.

Bella magis consilijs, quàm gladio gerere, & regna præliorum fortunâ, nisi necessitate cogente, vitata tueri laude dignum est.

Ex libro decimo sexto.

CLIX.

Colores iniuriarum vbiq; obuij.

Omnibus notum est, quàm facilè sit, cuiuis magno Principi rebus suis nomina, quæ honesta & æqua viderentur, prætexere.

CLX.

Vulgus speciem potius, quàm rem spectat.

Variæ sunt hominum cupiditates. & iudicia: præsertim multitudinis, cui magis speciosa,

ciosa, quàm matura consilia placere solent: quæque sæpè eos, qui res minimè prudenter metiuntur, magnanimos existimat.

CLXI.

Tyrones veteranis & victoribus opponere temeritatis est.

Maximo & victori exercitui se nouis copijs opponere velle, minimè prudentis consilium est.

CLXII.

Potentia à subditorum voluntate profecta, tutissima.

Magis expetenda illa potentia est, quæ sponte & voluntate, quàm quæ vi & necessitate conseruatur, quia firmior, facilior, gratior, honestiorque est.

CLXIII.

Inusitata consilia, ut speciosa, minus tamen tuta.

Noua & inusitata consilia primò quidem intuitu magis gloriosa generosaque videri possunt: sed ea procul dubio magis periculosos & ancipites exitus habent, quàm quæ semper apud cunctos mortales ratio vsusq; comprobauit.

CLXIIII.

Victoriâ perperam, vti summum dedecus.

Omnis

Omnis victoriæ fructus in eo est, si ea benè vtaris: id verò prætermittere tãtò maius, quàm non vicisse dedecus est: quantò * maiore nostra culpa in iis rebus, quæ in nostra potestate sunt, erramus, quàm in iis, quę ex fortunæ pendent arbitrio.

Quòd maior hic culpa, quàm non obtinuisse eã.

CLXV.

In magnis prudentissimè agendum.

Quò grauius est id, de quo agitur, eò cautius est progrediendum: eaq́; quæ semel errata corrigi amplius non possunt, maturè sunt deliberanda.

CLXVI.

Beneficia sæpè ingratitudine compensantur.

Nihil beneficiorũ acceptorum memoria suapte natura breuius, nihil citius interit: & qua maiora sunt beneficia, eo, (vt communi prouerbio fertur) maiore maleficio compẽsantur. Nã qui ea remunerãdo delere aut nõ potest, aut non vult, sæpè vel obliuione, vel ea non tanta fuisse sibi persuadendo, delere conatur: & quos eò redactos fuisse, vt beneficio opus habuerint, pudet, iidẽ se illud accepisse indignantur: adeò vt plus in eis odiũ, ob eam, in quam ceciderãt, necessitatis memoriam, quàm beneficij accepti ratio possit.

In-

CLXVII.

Insolentiæ & leuitatis pessimi fructus.

Vbi insolentia, ibi & cæcitas: vbi leuitas, ibi nec virtutis cognitio, nec in aliorum factis discernẽdis iudicium, nec grauitas, quâ, quid se deceat, metiri possint.

CLXVIII.

Naturalis hominum ad dissentiendum facilitas.

Vsu compertum est, & idipsum ratio docet, ea quæ ex multorum volũtate pendent, nunquam felicem exitum habere.

CLXIX.

Occasionum, quæ facilè corrumpuntur, difficulter restituuntur, diligens ratio habenda.

Perquàm facilè est præclaras occasiones amittere: & contrà, perquàm difficile, eas adipisci. Ideoque dum manibus tenentur, omni studio ad eas retinendas enitendum: neque eorum, qui victi sunt, probitati prudentiæue, quum mortales imprudentiá malitiaq́ue sint referti, innitendum.

CLXX.

Vana mortalium in sperando facilitas.

Homines opinione sua communiq́ue errore decepti, quod vehementer expetunt, id facilè fieri posse credunt.

CLXXI.

Ineuitabile fatum.

Nil difficilius fato vitari poteſt : nullum contrà fatales morbos remedium valet.

CLXXII.

Fœderum inconſtantia, & incommoda.

In varijs fœderatorum ſtudijs, vbi variæ ſunt cupiditates & varij fines, facilè perturbationes, iras, moleſtias ac ſuſpiciones exoriri: ac denique nunquam alacritatē ad fortunæ auram, cùm ſe propitiam oſtendit, ſequendam: neq; animum ad eandē aduerſam conſtanter perferendam adeſſe conſtat.

CLXXIII.

Qui Pontifex probus noſtro ſæculo.

In noſtris deprauatis moribus tūc in Pontifice pronitas laudatur, quum cæterorum hominum nequitiam non excedit.

CLXXIIII.

Maiora vicibus aggredi temeritatis.

Qui nimiâ dominandi libidine plura quàm retinere poſſit, amplectitur, minimè laudandus eſt : verùm haud minus is eſt vituperandus, qui nimiâ ſuſpicione & metu, ſeipſe magnis occaſionibus, tot laboribus atque periculis partis diſpoliat: imò quamuis vterq; error grauiſſimus ſit.·. magis vitupe-

tuperandum in tanto Principe est illud consilium, quod ex timore & animi infirmitate, quàm quod ex generositate animiq; magnitudine proficiscitur: & laudabilius est, cum periculo immodica parare conari, quã periculi fugâ rarissimas occasiones corrumpere.

CLXXV.

Pontificum perpetuum in Cæsares odium ex metu profectum.

Cæsares timere & odisse proprium Pontificum est.

CLXXVI.

Suspicionis stultæ matris, nequissima filia.

Naturâ id est comparatũ, vt ex suspicione odium nascatur: ex odio iniuriæ: ex iniuriis societas & necessitudo cum iis, qui inimici sunt ei, quẽ læserunt: ex his consilia: quibus nõ modò se metu liberent, verũ etiã vt ex eius ruina qui lęsus est ipsi emolumẽta capiãt

CLXXVII.

Iniuriarum memoria proculdubio in eo qui facit, quàm qui patitur, maior atque ad placandum difficilior.

Ex libro decimo septimo.

CLXXVIII.

Error prudenter corrigendus.

Magis prudentis est errorẽ corrigere, quã in eo perseuerare.

Ne-

CLXXIX.

Necessitas consilia quæuis probat.

Consilia, quæ necessariò capiuntur, excusationibus non indigent.

CLXXX.

Moderatione ergà potentiores vtendum.

In rebus, quæ parui momenti sunt, minores maiorem necessitatis, quàm iustæ indignationis rationem habere, & moderatione prudenti cum maioribus vti debent.

CLXXXI.

Altior amici, quàm hostis iniuriæ hominibus sensus est.

Facilius hostis immanitas vt iustior, quã iniusta amici crudelitas fertur.

CLXXXII.

Exempla vitiosa latius serpunt: quin in deterius semper abeunt.

Communis nostri æui militiæ corruptela est, quę exemplo ab Hispanis sumpto, nó minus amicos, quàm hostes lacerat ac perdit.

Idq; insigni militans annonæ præbendæ exemplo demonstratum.

Nam & si à multis seculis magna fuisset in Italia militum licentia: eam tamẽ mirum in modum auxerant Hispani, saltem necessaria de causa: quia in omnibus Italiæ bellis suis

ſuis ſtipendijs fraudati fuerant. Sed vt ab exemplis, quorum etiam initia excuſationem habent, ſemper homines in peius ruũt, Itali milites, & ſi non eadem neceſſitate, nimirum ſtipendiis minimè fraudatur, promerentur, Hiſpanorum exemplum ſequuti, nulla in parte illis in huiuſmodi inſolentia cedere voluerunt. Quo factum eſt magna cum huius æui militiæ labe, vt milites nullum inter amicos & hoſtes diſcrimen ponãt: & ſic non minus populos prouinciaſq; vaſtãt ij, qui vt eas defendant, quàm qui vt offendant, ſtipendia accipiunt.

Ex libro decimo octauo.

CLXXXIII.

Hominum ingratitudo.

In benefactis ingratos & calumniatores faciliùs, quã gratos & laudatores inuenias.

CLXXXIV.

Tyronibus veterani longè præferendi.

Sæpè eis, qui ex veterum exemplis nondum præſentia metiri didicerunt, quantum virorum in bellis exercitatorum virtus, à nouis exercitibus ex collectitiâ turba coactis, & ab vulgi multitudine differant, ſuo ipſorũ periculo, & inſigni clade oſtenſum fuit.

Falſæ

CLXXXV.

Falsa hominum de rerum euentis iudicia.

Homines sæpè sibi persuadent, si hoc aut illud factum fuisset, aliquid fore: cuius rei si periculum fieri posset, plerumq; huiusmodi iudicia falsa inuenirentur.

CLXXXVI.

Monomachiæ Principes non decent.

Controuersias singulari certamine dirimere, turmales magis equites, quàm Principes decet.

Ex libro decimonono.

CLXXXVII.

Pertinaciæ incommoda.

Non inutile est, quæ mala eorum, qui magnarum rerum administrationi præsunt, pertinacia pariat, cogitare.

Elegansq; descriptio, ingenio Lantrechij descripto proposita.

(Sic,) Lantrechius proculdubio omnium Gallorum Ducum Princeps, diu in bellis exercitatus, & maximæ apud exercitum autoritatis, sed naturâ elatus & imperiosus, dum sibi vni credens reliquorum omnium consilia contemnit, dum neminem audire

vult,

vult, dum non omnia suo solius iudicio geri homines animaduertere sibi turpe ducit, ea quæ adhibita fortasse ipsi victoriam peperissent: neglecta verò bellum (Neapolitanum) tanta spe cœptum funditùs euerterũt, prætermisit.

CLXXXVIII.

Castrorum circuitus.

Castrorum vastus circuitus & periculum adfert: & militem nimiis laboribus conficit.

LXXXIX.

Dissidia libertati inimica.

Præcipuum libertatis conseruandæ fundamentũ est, vt dissidia inter ciues tollãtur.

CXC.

Hominum nominumq; confusionem factionibus delendis opportunum remedium Genuenses censuerunt.

Genuenses in constituendo, post restitutam Andreæ Auriæ beneficio libertatem, nouo Reipublicæ statu, vt omnium dissidiorum radices euellerent, omnium ciuitatis familiarum gentiumque nominibus extinctis, solum viginti octo familiarum ex illustrioribus clarioribusqne (Adurniâ & Fregosiâ, quarum potentissimæ factiones fuere, prorsus extincta) nomina conseruarunt:

qua-

quarum nominibus & numero omnes eos nobiles ac plebeios, quibus nullum familiæ gentiſve nomen erat relictum, adiunxerunt: ac quo magis factionum memoriam obruerent, nobiles plebeis, viciſſimq́ue plebeios nobilibus, eos qui Adurniorum ſtudioſi Fregoſiis, hoſque illis aggregarunt: & vt nullum inter ipſos diſcrimen, quo magis hi, quàm illi ab honoribus & magiſtratibus arcerentur, eſſet, conſtituerunt: qua hominum nominumq́ue confuſione, vt paucorum annorum ſpacio peſtifera factionum memoria deleretur, futurum ſperabant.

CXCI.

Fortunæ & inuidiæ vis.

Eboracenſis Cardinalis fortuna documentum noſtra ætate memorabile fuit, quo perſpectum eſt, quantum fortuna atque inuidia in Principum aulis poſſit.

CXCII.

Honos inter Principes receptus.

Moris eſt, vt quum duo Principes conuenire debent, qui dignitate antecellit, primus ad conſtitutum locum veniat. nam honoris loco habetur, vt inferior ad eum veniat.

Ex

Ex libro vigesimo.

CXCIII.

Autoritatis comparandæ ratio inter milites.

Audaciâ & liberalitate magna apud milites autoritas facilè comparatur.

CXCIIII.

Necessitas temeraria quoque consilia excusat.

Temeraria dici non possunt ea consilia, ad quæ extrema necessitate compellimur.

CXCV.

Honores gesti, cuius pretij quisque sit, demonstrant.

Verissimum est illud, & summa laude dignum, quod prouerbio dici solet: Magistratum virum ostendere.

FINIS HORVM LIBELlorum politicorum.

wklodach Zamknietych dijament

TABVLA HAEC SYNOPTICA EST PRAEFIGENda lib. Friderici Furij de concilijs & consiliarijs.

PRIMARIA huius libelli capita sunt.

- De CONCILIIS, quorum septem enumerantur:
  - 1. Quæstorium.
  - 2. Togatum.
  - 3. Militare.
  - 4. Frumentarium.
  - 5. Legale.
  - 6. Criminale.
  - 7. Censorium.
  - Quorum tractatio reijcitur in alios libros 7.


&

- De CONSILIARIIS, in quibus principi duæ res maximè perpendendæ.
  - Habilitas ad negocia. Eaque duplex:
    - Alia animi, cuius qualitates sunt. 15.
      1. Ingenij alacritas.
      2. Eloquentia.
      3. Linguarum cognitio.
      4. Historiarum cognitio.
      5. Scientia quibus extremis ac finibus virtutes & vitia definiuntur.
      6. Exercitatio circa gubernationem Reip. tàm pacis, quàm belli tempore.
      7. Terrarum cognitio & peregrinationis studium.
      8. Intelligentia virium & potentiæ principis, confœderatorum, vicinorum ac hostium.
      9. Studium & amor in Rempub.
      10. Scienta Medicinæ laborantis perniciæ corpori adhibendæ.
      11. Iustitia & bonitas.
      12. Liberalitas.
      13. Beneficentia & promptitudo de alijs benèmerendi.
      14. Mansuetudo & benignitas.
      15. Fortitudo animi.
    - Alia corporis cuius qualitates sunt 5.
      1. Matura ætas.
      2. Bona complexio.
      3. Mediocris statura.
      4. Membrorum iusta proportio & legitima conuenientia.
      5. Vultus comitas.
  - Electio. Vbi Principi sequentes 9. regulæ diligenter obseruandæ.
    1. Vt eligat prudentes Consiliarios.
    2. Vt veritatis amantes.
    3. Vt asciscat ex omnibus ijs regionibus, quibus imperat.
    4. Vt præter aulicos etiam alios accersat.
    5. Vt princeps in his eligendis non sit præceps ac subitus.
    6. Vt non facilè fidem adhibeat obtrectatoribus adoptandi consiliarij.
    7. Vt non incertæ & dubiæ, sed perfectæ & exploratæ virtutis cōsiliaros eligat.
    8. Vt consiliarium iam electum & designatum breui commemoratione spei de ipso cōceptæ præmissa, officij sui admoneat.
    9. Vt eundem sibi iuramenti religione obstringat.



Jnillo tempore





Spec

Speculu

